



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Exacta Facti Species Cum solida Remonstratione non  
existentis Prætensæ Electionis Serenissimi Principis  
Josephi Clementis Bavariae Ducis junctâ resolutione  
diversarum quæstionum pro firmanda ...**

**[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38262**







Th. 4768.

M. II  
# 39


M. II  
# 39













EXACTA  
FACTI SPECIES

*Cum*

solida Remonstracione

*non existentis*

PRÆTENSÆ ELECTIONIS

*Serenissimi Principis*

JOSEPHI CLEMENTIS

Bavariæ Ducis

junctâ resolutione diversarum quæstionum  
pro firmanda

*Eminentissimi Cardinalis*

LANDGRAVII de FURSTENBERG

&c.

in ArchiEpiscopum & Principem Electorem  
Coloniensem

*solemni postulatione*

à

Majori & saniori parte

*Illustrissimi Capituli Metropolitanæ Coloniensis*

*Die 19. Mensis Julii 1688.*

Canonicè celebrata.


*Cum adjunctis Summariis NN. 1. 2. 3. 4. 5. 6.*

*7. 8. 9. 10. 11.*

---

Anno M. DC. LXXXIX.







**V**acante per obitum Serenissimi & Reverendissimi Domini, Domini Maximiliani Henrici utriusque Bavariae Ducis gloriosae memoriae, qui die 3. mensis Junii Anno 1688. Viam universae carnis ingressus est, Archi-Episcopatu, & Electorali Principatu Coloniensi, Decanus & Capitulum Metropolitanæ Coloniensis Ecclesiæ, volentes obviare periculis & dispendiis, quæ Ecclesiis viduatis ex diuturna vacatione non raro imminere solent, ad celebrandam Canonicam Electionem, vel postulationem novi Archi-Episcopi, & Principis Electoris unanimi consensu diem 19 Mensis Junii labentis Anni 1688. præfixerunt, & ad eum effectum solitas citationes relaxarunt, easque debite in Personas & ad valvas intimari fecerunt: Currente hujusmodi citationum termino, non defuerunt consilia, ad Eminentissimum Cardinalem Landgravium de Fürstenberg, hujus Metropolitanæ Ecclesiæ Decanum, tam ab Electione passivâ, quam postulatione excludendum, ardenti calore agitata, in quorum sequelam, per Sacræ Cæsareæ Majestatis Legatum, Excellentissimum Dominum Comitem de Kauniz, die 14 prædicti mensis Julii, Illustrissimo Capitulo prælecta fuerunt, nonnulla motiva ad hujusmodi exclusionem tendentia, acrisanè calamo conscripta, quæ, cum præliminari illis propositâ responsione exhibentur Summario N. I. Citationibus porro præactis in Capitulo ad celebrandam Electionem vel postulationem indicto debite reproductis, ut ad actum Electionis, vel postulationis procederetur Canonicè, Eminentissimus Dominus Cardinalis Landgravius de Fürstenberg, uti Decanus, & in ea qualitate Capituli Præses, omnes & singulos

A

singulos



singulos præsentis Dominos Capitulares numerum 23.  
 Constituentes monuit, ut si aliquis eorum absentis legale  
 mandatum haberet, illud ipsum produceret, seque ad vo-  
 tum absentis nomine dicendum qualificaret; quâ monitione  
 factâ, cum ab Illustrissimo Domino Comite de Königs Eck  
 informis quædam clausa scriptura loco prætensi mandati  
 procuræ Serenissimi Principis Hermanni Marchionis Baden-  
 sis exhiberetur, adjunctâ sub numero 2. de illius notoria  
 nullitate ex causis infra latius deducendis, mox oppositum  
 fuit: Subsequenter memoratus Eminentissimus Dominus  
 Præses, suo pariter ac totius Capituli nomine, omnes & sin-  
 gulos monuit, ut si qui excommunicati, suspensi, interdicti,  
 irregulares, aut alio quovis modo inhabiles, adessent, egre-  
 derentur, & si qui similibus Procuratores constituti forent,  
 mandatis eorum nullatenus uterentur, additâ protesta-  
 tione, quod eorum voces nulli deberent, aut possent præstare  
 suffragium vel adferre nocumentum, & quod pro non re-  
 ceptis, & pro non datis haberentur.

Et cum Notorium sit, quod viduatis Cathedralibus, &  
 Metropolitanis Ecclesiis, per tres potissimum vias Canonicas  
 provideri consueverit, videlicet per viam Canonice Electio-  
 nis, vel solemnæ postulationis vel Electionis & postulationis si-  
 mul, eligendo & postulando, pro ut de jure melius valere pot-  
 test, dum de alicujus eligibilitate probabiliter dubitatur; in  
 his verò viis forma scrutinii in Concilio generali Lateranensi  
 & *Cap. quia propter 42. de Elect.* præscripta, soleat esse magis  
 usitata, & uno vel pluribus Capitularibus petentibus à toto  
 Capitulo necessariò servanda, *Mandagot. de Elect. Cap. 12.*  
 & quæ signanter in hac Metropolitanâ Coloniensi Ecclesiâ  
 hæctenus circa Electiones Archi Episcoporum fuit obser-  
 vari solita, prout formam dicti scrutinii in Electione Sere-  
 nissimi ultimo defuncti observatam fuisse per processum su-  
 per ejusdem Electione expeditum. Illustrissimo Domino  
 Nuncio Apostolico aliam formam per scedulas compli-  
 catas,



3.  
catas, ad instantiam Sacrae Cæsareæ Majestatis Legati Excellent. Domini Comitis de Kaunitz proponenti demonstratum fuit; Idcirco factâ per Eminentissimum Dominum Præsidentem Dominis Capitularibus propositione, per quam formam ad Electionem vel postulationem procedendum fore judicarent, exquisitis singulorum votis, per majorem Capituli partem conclusum fuit, per formam scrutiniî in dicto Concilio generali & *Cap. Quia propter*, præscriptam fore, & esse procedendum, assumptisque, per unanimia vota, tribus ex gremio Capituli Scrutatoribus fide dignis, videlicet Illustrissimo D. Comite de Rittberg, Scholastico, & Celsissimo Duce de Croy, ac R<sup>mo</sup>. D. Henrico Mehring, Seniori Presbytero Canonico Capitulari, adquisitionem votorum in loco separato ad id specialiter adornato, secretè & sigillatim canonicè processum, iisque in scriptis redactis, & mox in Communi publicatis, habitâque collatione diligentî, compertum fuit, tredecim vota in unum, novem in alium, ac unum in unum, & unum pariter in unum directâ fuisse. Et factâ per D. D. scrutatores propositione, utrum minora majoribus vellent accedere? major Capituli pars affirmativè respondit, cujus concluso Reverendissimus Dominus Canonicus Geyr accessit, ita ut per hujusmodi accessum quatuordecim vota in unum fuerint directâ. Petente subsequenter Reverendissimo Domino Canonico Becquerer, ut tam Electio, quam postulatio publicaretur, & responso dato ab Illustrissimo D. Comite de Rittberg Scholastico, & primo Scrutatore, quod ejus muneri incumberet de illo duntaxat Communem Electionem vel postulationem facere, in quem majora vota essent directâ, is ex tunc Potestate sibi à majore parte Capituli datâ, solemnem postulationem suo & majoris partis Capituli nomine, fecit in modum sequentem videlicet

A 2

In



In nomine Patris, <sup>4.</sup> & Filii, & Spiritus  
Sancti, Amen.

Cum per obitum Serenissimi & Reverendissimi Domini, Domini Maximiliani Henrici, Bavariae Ducis, Archi-Episcopi, & Electoris Coloniensis etc. Domini nostri Clementissimi, felicissimae memoriae, Ecclesiam Coloniensem non ita pridem vacare contigerit, antequam postulatio Coadjutoris cum futura successione a Sanctissimo Domino nostro Papa admissa fuerit; ideoque ad obviandum periculis & dispendiis, quae in casum diuturnae vacationis, vacanti & viduae Ecclesiae Coloniensi imminere possent, ad Electionem vel postulationem novi Archi-Episcopi procedendum, & citationibus opportunis in eum finem relaxatis, debite intimatis, & reproductis, hodiernam die per formam scrutinii in Concilio generali, & *Cap. Quia propter Ec. de Elect.* praescriptam vacanti Ecclesiae providendum esse placuerit, factoque juxta ejusdem Generalis Concilii formam scrutinio, ac eo publicato, & collatione habitam diligenti, repertum sit, majorem Capituli partem vota sua in Eminentissimum D. Cardinalem Landgravium de Fürstenberg etc. direxisse, eundem postulasse. Hinc Ego Franciscus Adolph. Wilhelmus, Comes Orientalis Frisiae & Rittberg, Metropolitanus hujus Coloniensis Ecclesiae Capitularis & Scholasticus, unus Conscriptorum vice mea, ac nomine & vice omnium illorum, qui vota sua in memoratum Eminentissimum Dominum Cardinalem Landgravium de Fürstenberg direxerunt, ex potestate mihi ab illis traditam & concessam, memoratum Eminentissimum D. Cardinalem, Decanum & Canonicum Capitularum hujus Metropolitanae Ecclesiae Coloniensis, ex legitimo Matrimonio & Illustri Prosapia procreatum, in sacris Ordinibus constitutum, moribus, scientiam, vitae honestate, ac longam rerum Capitularium experientia praeditum, in  
spiri-



5.

spiritualibus & Temporalibus providum ac circumsp-  
ctum, aliasque ad regendam Ecclesiam Coloniensem sin-  
gulariter idoneum & habilem, in Archi-Episcopum Eccle-  
siæ Colonienfis. ac Principem Electorem postulo.]

Contra solemnem hanc postulationem protestati sunt  
octo Domini Capitulares, qui in Personam eligendam  
consenserant, volentes electionem pariter fieri, vel sal-  
tem declarari personam, in quam dicta novem vota erant  
directa, unde hujusmodi eorum desiderio, quoad Per-  
sonæ eligendæ manifestationem, Eminentissimo Domino  
postulato annuente, & unanimi Consensu Capituli acce-  
dente, per Organum memorati Domini Scholastici primi  
Scrutatoris, Illustrissimi D. Comitis de Rittberg relatum  
fuit, novem vota fuisse directa in Serenissimum Princi-  
pem Josephum Clementem, ex Ducibus Baviaræ, unum  
votum verò in Serenissimum Ducem Neoburgicum Ludovi-  
cum Antonium, ac denique unum in Illustrissimum D.  
Chori Episcopum Comitem de Reckeim directum esse.

Petito demùm Eminentissimi Domini Postulati con-  
sensu in postulationem factam, ejusque declaratio-  
ne desuper obtentâ, per majorem Capituli partem  
conclusum fuit, postulationem in Capitulo solemni-  
ter factam, Clero & Populo, juxta solitam observantiam  
esse publicandam & denunciandam, unde major Capitu-  
li pars, comitante Rev. Domino Canonico Geyr, qui ma-  
jori parti accesserat, Eminentissimum Dominum Postu-  
latum ad Chorum deduxit, ibidemque per Organum Re-  
ver. Domini Canonici Henrici Mehring, tertii Scrutato-  
ris, publicatio & denunciatio facta fuit, reliquis Dominis  
Capitularibus, qui in Personam Serenissimi Principis Iose-  
phi Clementis vota sua direxerant, simul è loco Capitu-  
lari egredientibus, abeuntibus, & domum revertentibus,  
nullâ per eos, vel eorum unum factâ electione communi  
de persona per ipsos in Scrutinio, nominatâ, prout hæc  
omnia



N.3. omnia ita peracta esse instrumentum desuper expeditum  
Latus probat summario. N. 3.

Ex qua porro facti serie, licet evidenter pateat, de Serenissimo Principe Josepho Clemente nullam fuisse celebratam Electionem Communem, per unum ex parte illorum, qui vota sua in ipsum direxerant; Nihilominus cum per errorem ex facti ignorantia procedentem, memoratus Serenissimus Princeps Josephus Clemens novem votis electus esse passim asseratur, & prætersam ejus electionem solenni postulationi Eminentissimi Domini Cardinalis Landgravii de Fürstenberg præferendam esse multi, nec jurium satis gnari, nec de facto debite informati, perperam existiment; idcirco ad hujusmodi juris & facti errorem detegendum, sequentes quæstiones cum suis resolutionibus exhibentur.

### Quarum prima est.

Videlicet.

Quæstio-  
nes ex fa-  
cto re-  
sultantes

I.  
**A**N pro Serenissimo Principe Josepho Clemente, Bavarie Duce extet electio, eaque Canonica, quæ per Sanctissimum veniat confirmanda?

II.

An potius constet de Eminentissimi Domini Cardinalis Landgravii de Fürstenberg postulatione solenni. Eaq; Canonica, à majori & saniori parte Capituli facta, per sanctissimum Dominum nostrum admittenda?

Probatur non extare Electionem pro Serenissimo Principe Josepho Clemente Bavarie Duce.

**P**Ro solidiori resolutione primæ quæstionis præmittitur. Primò, in præsentì casu tractari de Electione vel solem-



solemni postulatione Archi-Episcopi, adeoque in ea seruari debuisse unam ex formis in Concilio generali Lateranensi, & *Cap. Quia propter 42. de Elect.* præscriptis; Et cum in dicto *Cap. quia propter &c.* dentur tres formulæ Electionis, per *Scrutinium* scilicet, *Compromissum*, & *quasi inspirationem* (quæ ultima verè non est formula) & in casu nostro fuerit à majore parte Capituli electa forma *Scrutini* inter alias primaria, & dicitur esse necessitatis, ita ut uno solo instante, cæteri Capitulares ad eam amplectendam & observandam astringantur, *Mandagot. de Elect. cap. 21. ibi. Quoniam tres eligendi formæ, videlicet scrutini, Compromissi, divinæ Inspirationis traduntur in Concilio generali &c. sciendum est, quod prima forma necessitatis dicitur, quoniam ad procedendum per eam etiam uno solo instante, cæteri necessario astringuntur, ubi additio in verbis. Uno solo expresse subjungit, quod ita teneat curia Romana &c.* Unde cum major pars Capituli, per formam *Scrutini* in Electionis vel postulationis negotio procedendum esse concluderit, illa punctualiter seruari debuit, etiam à majori parte Capituli, utpotè quæ eandem amplecti debuit & amplexa fuit; atque unanimi Consensu cum majori parte, tres Dominos scrutatores assumpsit, seque cum reliquis *scrutinio* subjecit. Maximè cum forma *Scrutini* in Electionibus Archi-Episcoporum Colonien- sium hætenus observari solita sit, & signanter in Electione Defuncti Serenissimi Archi-Episcopi & Electoris Maximiliani Henrici, felicissimæ recordationis, observata fuerit, uti per processum desuper expeditum Illustrissimo Domino Nuntio Apostolico probatum fuit, cujus clausula concernens datur Sub N. 4.

N.4.

Præmittitur secundò, plura esse substantialia in forma *Scrutini* observanda, quibus omisis Electio remanet irrita, ipso jure, ut est textus litteralis in dicto *cap. Quia propter &c.* Versu *Aliter Electio facta non valeat* Quæ verba



8.  
ba important decretum irritans, ideoque ipsam Electionem, ob formam ritè non observatam inficiunt, ut Electionis nomen non mereatur, uti sæpius decidit vota magistralibus decisionibus coram Coccin. relatis, per Nicolaz ad concordata Germaniæ tit. 1. dub. 1. §. 4. & in puncto docet Mandagot. de Elect. Cap. 22. Ibiq; additio in Verbo Irrita &c. cum aliis cumulatis, per Barbos. in cap. Quia propter &c. ad verba: *Aliter Electio facta non valeat*, N. 30. ubi ex unanimi opinione firmat, quod verba ista habeant vim decreti irritantis. Quando enim clausula, *Aliter facta non valeat*. Respicit ipsum actum celebrandum, tunc si actus deficit in eo, quod lex decernit adesse ipsi actui, importat nullitatem actus *Ipsa Jure*: & ex hac ratione Passer. de Elect. Cap. 9. q. 7. sine dubio tenendum esse docet, quod Electio non servatâ formâ Capituli, *Quia propter &c.* sit irrita ipsa Jure, per Authoritates magnò numero ibidem adductas.

Præmittitur tertio inter reliqua substantialia requisita formæ Scrutiniî contineri sequentia videlicet. 1. Quod assumantur tres Scrutatores de gremio fide digni. 2. Quod à Scrutoribus vota cunctorum secretè & sigillatim exquirantur. 3. Quod vota exquisita in scriptis redigantur, 4. Quod vota in scriptis redacta mox in communi publicentur. 5. Quod collatio fiat votorum. 6. Quod collatione factâ statim fuit communis Electio, & quidem. 7. Per unum ex Capitularibus, suo & majoris partis Capituli, vel illorum nomine, qui cum ipso consenserunt.

Cum autem de quinque primis requisitis hic enumeratis non intret, quæstio, ex eo quod scrutatores tres de gremio fide digni unanimiter fuerint assumpti, & ab illis subsequuta fuerit votorum exquisitio, publicatio facta in Communi, & habita collatio &c. Solum restat inquirendum, an de Serenissimo Principe Josepho Clemente ex Ducibus Bavaricæ, per unum ex iis, qui in personam ejus eligentur.



gendam in scrutinio consenserant, postquam ipsis declaratum fuit, novem vota in ipsius personam esse directa, debuerit fieri, & facta sit communis Electio? Textus est clarus in *Cap. cum post petitam 46. de Electione*: ubi traditur quod post factam publicationem consensuum, & collationem votorum, incontinenti debeat fieri Communis electio, adeo, ut si per aliquod temporis intervallum Communis Electio differatur, & eo usque protrahatur, donec capitulum Electionis fuerit dissolutum, etiam si postmodum ex intervallo finiri contingat, etiam concorditer ab omnibus, tamen sit ipso jure nulla, & propter inordinatum processum pro tali declaranda, ut firmat, dictus textus ad litteram. Ibidemque *Gloss. in figuratione Casus, & in verbo, protraham, Mandagot. de Elect. Cap. 22. & ibi additio Lit. K.*

Et quod sit unum ex substantialibus requisitis, ut post collationem Electio fiat in continenti, nullo scilicet actu extraneo intermedio, alias verò non valeat, tradit *Fagnan. in cap. publicato de Elect. N. 60. & 61.* ubi dicit ad hoc esse textum in *Cap. Cum post petitam, de Elect.* cum addito, quod ita tradant omnes in *Capite quia propter. Præsertim Abbas N. 16.* dicitque hoc maximè procedere, quando Electio protrahitur, *per simplicitatem vel negligentiam Electorum, & quod substantiale sit, ut post factam collationem statim fiat communis Electio, probat idem Fagnan. in Cap. Quia propter. N. 59.* per clara verba textus ibi. *Is collatione habitâ eligatur.*

Pluribus hanc sententiam confirmat *Passerin. de Elect. Cap. 19. q. 5. N. 20.* ubi probat, quod verba in *Cap. Quia propter &c.* ut collatione habitâ *Is eligatur &c.* importent substantialem actum Canonice Electionis.

Et si enim videri possit imperitis, quod tunc Electio fiat, quando dantur vota in scrutinio, tamen hallucinantur gravissimè, & supinam produnt ignorantiam, eò quod ipse Electionis actus denum sequatur, postquam vota in scrutinio

B

fue-



fuerunt data, & in communi publicata, eorundemque collatio facta.

Actus enim præambulus, per quem Electores in scrutinio votum conferunt, est quoddam viale duntaxat, imperfectum & præparatorium ad ipsam Electionem celebrandam, ex quo præambulo nullum jus acquiritur illi, qui nominatus est in scrutinio, sed solummodo explicatur desiderium & consensus, ut eligatur ille, qui nominatur in scrutinio, Electio autem tunc demum celebratur, quando post exquisita, in scriptis redacta, in communi publicata & collationata vota, unus suo & totius, vel majoris partis Capituli, vel illorum, qui secum consenserunt, nomine, eligit, dicendo. Ego N. Talem N. vice meâ & majoris partis Capituli, vel illorum, qui mecum consenserunt, in Archi-Episcopum eligo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Ordo siquidem præmissorum actuum est de substantia Electionis Canonicae, ita ut quilibet eorum successivè fieri debeat, videlicet, ut primò assumantur scrutatores, postea fiat scrutinium, deinde sequatur publicatio scrutini, mox votorum Collatio, ac demum subsequatur Communis Electio; ut post Mandagot *de Elect. Cap. 22.* punctualiter notat, *Passerin. de Election. Cap. 19. q. 7. per totum & cum aliis Fagnan. in Cap. Quia propter. N. 59.* Ubi tradit esse substantiale, ut post habitam Collationem sequatur communis Electio, juxta litteram in verbis, *Is collatione habitâ eligatur.* Pro qua sententiâ extat textus clarus in Cap. *in Genesi. 55. de Elect.* Ubi pontifex Gregorius nonus inquit, cum in concilio caveatur, ut is collatione habitâ eligatur, in quem omnes, vel major pars capituli consensit, si electio communiter celebrata non sit, & communis electio non subsequatur, cum ex singularibus & particularibus consensibus in scrutinio datis, non detur Electio universalis, vel communis, non posse dici celebratam Electionem; *Ideoque Electionem aliter factam,*



utpotè contra formam Concilii attentatam, irritam & inanem esse. Ubi Glossa in verbo *irritam* adducit textum cum eodem concordantem in cap. *Ecclesia vestra. 48. de Elect.* in quo ad præcisos terminos præsentis nostri casus expressè decisum habetur, quod Pontifex considerans, quod post publicationem scrutini, & habitam Collationem, non fuerit subsecuta communis electio, nulla posset dici adesse Electio, & notat ibidem Glossa in figuratone casus, & in verbo *Processus*: Quod licet major pars Capituli in unum consensisset in scrutinio, tamen si publicatione & collatione factâ non fiat communis Electio, omnia reddantur irrita, quia scilicet ipsa Electio deficit, adeo ut nullus alius actus, quantumvis æquipollens, Electionis vicem supplere possit: Est enim substantiale requisitum, ut votis exquisitis, in communi publicatis & collationatis, in continenti subsequatur communis Electio, sine qua nullus potest dici esse Electus.

Unde *Passer. de Elect. Cap. 19. q. 5. N. 29.* per text. modo adductos, & innumeras alias auctoritates, solidè probat, tantam esse talis communis Electionis necessitatem ut absque illa, nominatus in Scrutinio à Papâ confirmari non possit, signanter, si omisio communis Electionis proveniat ex ignorantia, simplicitate, negligentia vel ignavia eligere habentium; ut inquit *Passer de Elect. d. Cap. 19. q. 5. n. 31.* ubi *num. 33.* subjungit quod omisio communis Electionis non solum ipsam electionem irritam reddat, ut non possit dici celebrata Electio, sed etiam irrita reddat omnia antecedentia cum ipso scrutinio, ex parte scilicet eorum qui Electionem Communem facere neglexerunt, adeo ut etiam si deficiente communi electione Electores non privarentur jure eligendi pro ea vice, pro ut privari debent, tamen novum scrutinium instituere teneantur, in quo poterunt variare, & alium nominare.

Ex quibus manifestè patet, quod in præsentis casu pro Serenissimo Principe Josepho Clemente nulla extet electio,



ac proinde frustra quæatur, an Papa Electionem de eo factam confirmare possit, cum non possit confirmari id, quod in rerum natura nunquam existit, nec in præsentiarum existat. Non entis enim nullæ sunt qualitates, nulla prædicabilia, & confirmatio semper præsupponit præexistentem actum confirmabilem, qualis actus electionis notoriè hic deficit.

Cujus porrò jactatæ Electionis non existentiam ipsi etiam Domini Capitulares, qui in personam Serenissimi Principis Clementis Josephi vota sua in Scrutinio direxerunt, idèdè palam agnoscere & fateri coguntur, ex eo, quod toti Capitulo non minus, quàm adhibitis Notariis & Testibus constet, neminem eorum similem electionem fecisse, cum tamen Sacri Canones Electionis existentiam non agnoscant, nisi Electio per unum vice suâ, & vice vel omnium, vel illorum, qui cum ipso consenserunt, in Capitulo celebrata fuerit.

De substantia enim Electionis, ut Electio dici possit, præcipuum est, ut votis exquisitis publicatis & collationatis *Per unum, clarâ voce, publicè & solemniter in Capitulo fiat Communis Electio. Per verbum singularis numeri dicendo, Ego N. vice meâ, & vice ac nomine eorum, qui mecum consenserunt talem eligo in Archi-Episcopum,* ita quidem, ut nullus alius actus electionem importare possit, sicuti probat *Barbos. de jure Eccl. univers. cap. 19. n. 22 §. ubi n. 228. inquit.* quod substantialiter requiritur, ut factâ collatione communis electio fiat & quidem expressâ & clarâ voce, nec sufficit, aliquis actus eligentium, qui Electionem importet, sed requiruntur verba ore prolata, idem repetit dictus *Barb. in Cap. sicut de Elect. in 6.* & quod de substantia sit, ut per unum fiat, & pronuntietur communis electio, expressè declarat Pontifex Nicolaus tertius in dicto Capitulo, sicut, his formalibus verbis, *sicut cum per formam Scrutini ad Electionem proceditur est per unum pronuntianda & facienda communis Electio, secundum*



dum canonica instituta, sic & per unum debet fieri, cum per formam proceditur compromissi, alioquin à pluribus facta simul Electio eo ipso viribus non subsistat. Idem expressè præcipit Papa Bonifacius ejus nominis octavus in Cap. Cum ab uno &c. de sentent. & re judicat. in 60. ubi dicit: quod cum ab uno Arbitrorum vel judicum, aliis præsentibus & mandantibus scripta sententia recitatur, perinde habeatur, ac si simul esset ab omnibus recitata, & is qui recitat, non debeat uti verbis singularis numeri, sed pluralis, ut dicat. Nos tales Judices vel Arbitri pronuntiamus in hunc modum. Secus tamen obtineat in Electione, in qua, ut censeatur evidentius unica & communis, est ab uno, vice omnium, si ve per Compromissum, si ve per scrutinium procedatur, Electionis pronuntiatio per verba singularis numeri, facienda, sunt diserta verba textus, quem ibidem glossa in figuratione casus latius exponit, & alij allegati per Barbos. in Collect. ad dictum Cap. Cum ab uno, & per eundem plenius traditur in Capit. sicut 21. de Electione in 6. &c. denique quod Electio fieri debeat in Capitulo, viva voce, ab uno, loquente in persona singulari & propria dicente. Ego N. Eligo &c. latè etiam firmat, Passerin. de Elect. Cap. 19. q. 5. n. 24. 25. & seq. Fagnan in Cap. quia propter n. 63. cum pluribus ibidem allegatis, ita quidem ut per alium actum æquipollentem electio fieri nequeat, cum verba ad Electionem sint de substantia, ubi autem verba sunt de substantia, factum aliud non sufficit, neque æquipollet, uti pariter tradit Passer. Cap. 19. q. 5. n. 24.

Quæ omnia de communi Electione per unum facienda non tantum procedunt in eo casu, quo unus tantum in scrutinio est nominatus, sed etiam in casu, quo duo vel plures in scrutinio nominati fuerint, tunc enim ad hoc, ut electio possit dici celebrata de eo, qui ab una alterave parte nominatus fuit in scrutinio, substantialiter requiritur, ut unus vice sua, & eorum qui cum ipso consenserunt, Electionem communem faciat, per verba singularis numeri dicendo, Ego N. vice  
 B 3. mea



mea, & vice illorum, qui mecum consenserunt, eligo talem, uti punctualiter docet *Mandagot. de Election. in Cap. 22. & in Cap. 34.* ubi sequentia tradit.

Qua Collatione factâ statim facienda est per unum electio in Communi *Cap. in Genesi, de Elect.* ubi de hoc notatur, plene *Ludon Roman. in Cons. 209. Abb. in Cap. Quia propter Sc. Col. 6. vers. 5. tertium decimum.* Textus & Glos. & omnes Doctores *in Cap. sicut. de Elect. in 6. & in Cap. cum ab uno. de re jud. in 6.* & hoc intelligas verum esse, ubi est unus tantum modo in Scrutinio nominatus, vel etiam ubi plures sunt nominati, placet tamen omnibus, ut is solummodo eligatur, in quem major pars consensit; Cæterum ubi pluribus nominatis pars quælibet suo vult insistere nominato, tunc unus de parte quælibet, nominatum suæ partis debet eligere, mandato sibi facto ab his qui consenserunt in eundem, & si forte concordare nequeant, cui potestatem tribuant eligendi, ille tunc eligit, qui à pluribus suæ partis ad hoc fuerit deputatus, cum enim per unum Electionem fieri necesse est, ut est textus *in Cap. in Genesi. de elect.* & cum fieri non possit per plures, necesse est, quod stetur majori parti eorum, qui in unum consenserunt.

Ubi enim consenserunt in diversos, & quælibet pars vult suum eligere, tunc non dicet eligens, eligo vice omnium, sed vice illorum, qui consenserunt in eundem, & hoc debet fieri per verba singularis numeri, hætenus *Mandagot.*

**Concluditur, non extare ullam Electionem pro Serenissimo Principe Josepho Clemente Bavarizæ Duce à minori parte Capituli factam.**

**E**X quibus in facto & jure ita solide firmatis, irrefragilibus iterum resultat conclusio, quod in præsentî casu pro serenissi-



renissimo Principe Josepho Clemente Bavariae Duce non  
 existet electio, vel electionis actus, & consequenter frustra  
 quaeratur, utrum ejus electio sit canonica, quae per sanctis-  
 simum veniat confirmanda, cum impossibile sit, illam dici  
 electionem canonicam, vel tanquam talem confirmari pos-  
 se, quando nullus adest Electionis actus, & ipsa Electio in re-  
 rum natura nunquam existit, sicuti in nostris terminis E-  
 lectio non existat, sed sola duntaxat Electionis celebrandae  
 praeparatoria, ex quibus nullum jus Serenissimo Principi  
 Josepho Clementi acquiri potuit, singulares enim consen-  
 sus qui in scrutinio dantur, & reliqui actus, ipsam commu-  
 nem electionem praecedentes, remanent informes, imper-  
 fekti, inanimes, nec Personae in scrutinio nominatae ullum  
 jus, vel juris colorem tribuunt, sed in totum corruunt, &  
 pro non factis habentur, si ipsa communis Electio, per  
 unum, modo praeducto, subsecuta non fuerit, ut praecle-  
 re docet *Passer. de Elect. Cap. 19. n. 33.*

Quae omnia procedunt, etiam si communis Electio, per  
 ignorantiam, oblivionem, aut inadvertentiam omissa dice-  
 retur, cum juris ignorantia non relevet a nullitate actus  
 circa Electionem commissa, propter decretum irritans in  
 concilio generali, & *Cap. Quia propter Ec.* adjectum, in ver-  
 bis, *aliter electio facta non valeat.* Decretum enim irritans  
 etiam afficit & ligat ignorantes, ejusque tanta est potestas  
 & efficacia in annullando, quidquid fit in Contrarium, ut  
 enervet omnem vim quorumcunque actuum, & ad instar  
 fulguris, quidquid in oppositum invenit, destruat & ope-  
 retur nullitatem, usque ab initio, ut plurimis Authoribus  
 probat *Nicolartz ad concordata German. Tit. 3. dub. 2. n. 9.*

Qualis inadvertentia eò minus excusari posset, si alle-  
 gari contingeret, cum inter Dominos Capitulares, ad Ele-  
 ctionem celebrandam votantes, diversi fuerint Juris utrius-  
 que & SS. Theologiae Doctores, in quibus nulla debuit aut  
 potuit cadere formae Conciliaris ignorantia, adeòque sem-  
 per



per verum maneat non extare Electionem, quæ Electionis nomen mereatur, sed tantum Electionis celebrandæ præparatoria, quæ ob omiffam Communem Electionem remanent infecta, & ipfo jure elisa, per superius latè tradita ex *Passerin. d. Cap. 19. quest. 5. per tot. Et signanter n. 20. Et 33.*

Nec pariter excusationem meretur, si Domini Capitulares Electionem facere intendentes, prætenderent se culpâ & facto Dominorum postulantium fuisse impeditos, quò minùs communem Electionem, per unum suæ partis, in Capitulo Canonicè facerent, quia ex instrumento Notariali patet, nulli eorum fuisse inhibitum, multò minùs quempiam ex iis verbo aut facto impeditum, quo minus ipforum aliquis, in pleno Capitulo, loco inutilium Cavillationum, & frivolarum protestationum magno cumulo objectarum, Electionem communem faceret, si facere voluiffet, dicendo paucis. Ego N. meo & eorum, qui mecum consenserunt nomine, Eligo Sereniffimum Principem Josephum Clementem Bavarix Ducem &c. sicut vice & nomine majoris partis Capituli, per unum solemnem postulatio facta fuit, quam proinde Electionem Communem, cum ipsimet neglexerint, hinc est, quod facto suo proprio, & solâ eorum indispensabili culpa evenerit, ut communis Electio ab ipsis omiffa fuerit, adeoque de non existentia Electionis pro Sereniffimo Principe Josepho Clemente, se ipsos in præfentiarum convictos agnoscere, & insuper fateri teneantur, per sanctiffimum Dominum nostrum confirmandum non esse, ubi nullum præexistit confirmabile, cum non entis nullæ sint qualitates, & nulla prædicabilia, juribus vigilatiffimis. Qualis porrò confirmatio eò minùs sperari poterit à sua Sanctitate, attento, quod propter non existentiam communis Electionis, ipsa vota in Scrutinio data simul conciderint, neque in votorum numero amplius reputari possint, cum ex supra deductis constet, quod permissionem Communis Electionis, totum scrutinium evanescat, nec ad

*infertur a  
sanctissi-  
mo Ele-  
ctionem,  
que non  
exstat*



ad Electionis actum ex eodem Scrutinio perveniri possit. *confir-*  
 Quin imò omnes ij Electores, qui Electionem commu- *mandam*  
 nem facere neglexerunt, tanquam delinquentes contra *non esse.*  
 formam in concilio generali præscriptam, privari debeant  
 pro ea vice eligendi potestate, ut expressè disponit textus  
 conciliaris relatus in dicto Capitulo. Quia propter &c.  
 in verbis, *Qui vero contra prædictas formas eligere attentave-*  
*runt, eligendi eâ vice potestate priventur.* Ubi *Barbos. in collect.*  
 n. 33. expressè inquit, eligendi potestate privari eos omnes,  
 qui contra formam in concilio generali decretam, etiam  
 sine fraude, eligere attentaverint.

Nec mirum, cum enim ante Concilium generale Late- *Infertur*  
 ranense diversi, pro diversitate ingeniorum & factionum, *minorem*  
 diversas formas eligendi Præsules excogitare & praticare *Capituli*  
 conarentur, undè pericula imminebant Ecclesiis viduatis, *partem*  
 summus Pontifex volens semel pro semper formam immu- *pro hac*  
 tabilem observari, eandem præscripsit, voluitque esse in- *vice eli-*  
 divisibilem, & in omnibus suis punctualitatibus indispen- *gendi po-*  
 sabiliter observandam, cum ea expressâ in Contravento- *testate à*  
 res adjunctâ poena, quod omnes ij, qui contra hujusmodi *sanctissi-*  
 formam, in toto vel parte, cum vel sine fraude, etiam per sim- *mo esse*  
 plicitatem peccarent, & de integritate formæ præscriptæ *privan-*  
 aliquid ommitterent, ad novam Electionem, pro ea vice, non *dam.*  
 admittendi, sed eligendi potestate pro ea vice privandi  
 essent.

Adeò quidem, ut si major pars Capituli contra for-  
 mam eandem peccaverit, potestas eligendi pro ea vice ad  
 minorem Capituli Partem, etiam si illa minor pars in duo-  
 bus, vel etiam in unico duntaxat consisteret, transire, & pe-  
 nes illum unicum tota vis capitularis ad effectum pro ea  
 vice eligendi Præsulem, residere debeat, uti multis autho-  
 ritatibus firmat. *Passerin. de Elect. c. 31. q. 1. per tot.*

Sicut vice versâ si minor pars Capituli peccarit contra  
 formam, illa sola privari debeat pro ea vice eligendi pote-  
 state



state ita ut tota novæ Electionis activitas & potentia, argumento ducto à majoritate rationis penes, majorem partem remanere, seu, ut est terminus juris, residere debeat.

Tantum igitur abest, ut à sanctissimo Domino nostro Electio confirmanda veniat, quæ non extat, quin potius omnes illos, qui contra formam conciliarem ad eò patenter peccaverunt, omittendo id ipsum, in quo totus Electionis actus substantiatur, eligendi potestate pro hac vice merito privare valeat, ita ut sua sanctitas in præjudicium Capituli provisio, rem aliquam ex jure devoluto pro hac vice, sibi attribuere nequeat.

Attento, quòd provisiones Cathedralium vel Metropolitanarum Ecclesiarum in Germania, tam spectato jure Communi, quam stantibus specialibus concordatis, inter sedem Apostolicam, & Inclytam nationem Germanicam Anno 1448. initis, ad sedem Apostolicam aliter non devolvantur, quam si integrum Capitulum, in Electione vel postulatione, contra formam conciliarem peccaverit, vel indignum eligere aut postulare attentaverit.

Secus verò si una duntaxat Capituli pars contra formam peccasse comperiat, eo siquidem casu, etiam habità ratione juris communis, non devolvitur jus providendi ad Pontificem, sed solidatur totum jus novæ Electionis penes eam Capituli partem, quæ nec in forma peccavit, nec indignum elegit vel postulavit, non enim potest potestas eligendi transferrì extra Collegium, nisi omnes de Collegio deliquerint, ut plenè probat *Passerin. de Elect. Cap. 31. q. 1. n. 2.* in verbis: Nam vel omnes vocales voce privati sunt, quia aut fuere negligentes ad eligendum intra tempus à jure statutum, aut omnes elegerunt indignum aut omnes miserunt aliquid de forma Electionis, vel non omnes, sed pars aliqua deliquit, & est voce privata; In primo casu facultas eligendi transfertur ad alium omnino, nec in aliquo Electorum remanet, & hic transitus proprie dicitur, *devolutio*  
ut



ut etiam consideravit Azor. part. 2. lib. 6. Cap. 27. Sed in secundo Casu, facultas eligendi non transfertur extra Collegium, sed manet apud non delinquentes, & ideo hæc propriè dicitur residentia facultatis eligendi, quia sic aliqui de Collegio ea privantur, ut tamen facultas eadem extra Collegium non transferatur, sed resideat in parte innocente, vel non deficiente.

Constito igitur ex præmissis, quod non extet electio pro Serenissimo Principe Josepho Clemente Bavarix Duce, & quod ideo à sanctissimo Domino nostro electio non existens, confirmanda non veniat, quin potius prætensi eligentes, qui tam graviter contra formam conciliarem peccaverunt, pro hac vice eligendi potestate, justitiâ dictante, privandi sint.

Idcirco supervacaneum quidem foret, de nullitate assertæ Electionis plura verba facere.

Ut tamen res undique reddatur evidentior, & justitia majoris partis Capituli luce meridianâ clarior, toti mundo <sup>probatur</sup> exposita, impartiali censuræ subjici mereatur, hinc supposito <sup>non esse</sup> sita, per impossibile, electionis alicujus existentia, illam tamen <sup>confir-</sup> à sanctissimo confirmandam <sup>mandam</sup> non esse, rationes suadent <sup>Electio-</sup> convincibiles.

Siquidem in facto conveniunt uno calculo, omnes <sup>nem à mi-</sup> Domini Capitulares & loquitur res ipsa, quod prætensa <sup>Capituli</sup> Electio innitatur novem duntaxat votis, & consequenter <sup>in factam</sup> in minore parte Capituli; proindeque ipso jure nulla remaneat, ita ut etiam datâ ejusdem existentia, à Sanctissimo Domino nostro confirmanda non veniat.

Communis etenim Canonistarum, nemine hætenus viso discrepante, ea est sententia, quod à tempore sacrosancti Generalis Concilii Lateranensis, celebrati sub Innocentio tertio Pontificatus sui anno 18. nulla Electio Canonica reputari aut confirmari valeat, nisi celebrata fuerit à majore parte Capituli, non Comparatione minoris & re-



specu numeri, sed respectu & in ordine ad totum Capitulum, *Barbos in Collect. ad Cap. Quia propter. N. 27. Passer. de Elect. cap. 19. q. 5. N. 21.* ubi inquit, ad Canonicam Electionem nunquam sufficere miorem partem, etiamsi fuerit prudentissima & sanissima, quia ordinatio Concilii Lateranensis ad Electionem canonicam substantialiter requirit majorem Capituli partem, prout *Passer. dist. N. 21.* pluribus autoritatibus id ipsum comprobatur.

In cujus corroborationem diversi adsunt textus individuales. sic enim loquitur Pontifex in Concilio generali Lateranensi, *cap. 24. Quia propter diversas Electionum formas, quas quidam invenire conantur, magna pericula imminent Ecclesiis viduatis, statuimus &c. Ut is collatione habita eligatur, in quem major & sanior pars Capituli consenserit &c. alias Electio non valeat:*

Quæ conciliaris dispositio, cum sit novi juris induciva, expressè statuens eam solam Electionem valere, quæ à majiori parte Capituli celebrata fuerit, & post hujusmodi Conciliarem dispositionem, nulla in hanc usque horam alia emanaverit constitutio, declarans electionem à minori parte Capituli factam, ullo unquam excogitabili Casu pro canonica esse reputandam. Hinc inconcussa remanet sententia, nullam dari posse Electionem Canonicam, soli minori parti innitentem.

Declarant id ipsum variæ decretales, quæ Conciliarem dispositionem ab aliis Pontificibus subsequutæ sunt, inter cæteras quidem, clara est decretalis Gregorij noni in *Cap. Cumana. 50. de Elect.* ubi utramque Electionem nullam esse declarat, addita ratione in verbis &c. *Quia neutram Electionem comperimus ad majorem partem totius Capituli pervenisse.*

Eandem nullitatis rationem repetit dictus Pontifex Gregorius nonus in sua decretali relata, in *Cap. in genesi 55. de Elect.* ibi &c. *Cum in Concilio generali Lateranensi Casuatur,*  
ut is



ut is collatione habitus Eligatur, in quem omnes, vel Major pars Capituli consensit. Et iterum in alia sua decretali &c. in Cap. Ecclesia vestra 57. de Elect. in verbis. Cum in Concilio Lateranensi major pars Capituli exigatur, & statutum Generalis Concilij contineat inter cetera, ut is eligatur, in quem major pars consensit &c. & iterum &c. ibi. Cum major pars Capituli non consenserit, Electionem de fratrum nostrorum consilio duximus sententia-liter irritandam.

Quæ quidem decretales post Concilium Lateranense emanatæ ad Literam testantur, quod post dispositionem ejusdem Concilij nulla possit dari Canonica Electio, neque pro Canonica à summis Pontificibus haberi, aut confirmari, nisi celebrata fuerit à majori parte Capituli.

Ut proinde in casu nostro, ubi in confesso est, solam duntaxat minorem Capituli partem vota sua in Eligendum direxisse, ejus Electionem, si Electio facta esset, nullatenus per sanctissimum confirmandam esse in præjudicium majoris partis, de nullitate reclamantis & opponentis.

Maximè stantibus specialibus concordatis inter S. sedem Apostolicam & nationem Germanicam initis, in quibus facta sedes per Contractum ultrò citròque obligatorium, expressè pacta est, se non velle in præjudicium Capitulum Cathedralium & Metropolitanarum Ecclesiarum Nationis Germanicæ, ullas alias Electiones confirmare, nisi quæ Canonice fuerint, in verbis &c. Item placet nobis, quod in Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis fiant Electiones Canonice, quæ ad dictam sedem deferantur, & si canonice fuerint, eas confirmabimus, Proinde cum modernus Sanctissimus Dominus noster dispositionem Concilii generalis Lateranensis, pro communi omnium Cathedralium Ecclesiarum utilitate, tantis vigiliis adinventam, & à suis Antecessoribus inviolabiliter observatam, in irreparabile præjudicium Illustrissimi Capituli Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis, evertere, sua sanctitas etiam concordata cum Capitulis



pitulis Cathedralibus & Metropolitanis Germaniæ, pro  
 unione, pace & tranquillitate inter Romanam Ecclesiam,  
 & Nationem prædictam perpetuò solidandis & conservan-  
 dis inita, infringere non intendat: Imo ex plurimorum sen-  
 tentiâ hujusmodi concordatis derogare non valeat, ut la-  
 tissimè per rationes solidissimas contendit, *Rebuff. ad Con-*  
*cordata Gallie in præfat. ad Rubr. de collat. ver. Contrarium*  
*Credo verius &c.* Quin & Plurimi Pontifices per constitutio-  
 nes motu proprio editas, sese nunquam concordatis deroga-  
 re velle, vel intendere specialiter contestati sint, ut pro-  
 bat *Nicolartz ad Concordat. Germaniæ. tit. 3. dub. 3. p. tot.*

Idcirco confidunt Domini Capitulares, Majorem, & sa-  
 nio-rem Capituli partem constituentes, quod modernus San-  
 ctissimus Dominus noster insistendo majorum vestigiis, ea  
 quæ in concilio generali, & Concordatis prætactis, salubriter  
 ordinata, & compactata sunt, non sit immutaturus, sed quod  
 huic Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensi (quæ inter alias  
 totius Germaniæ Ecclesias non immeritò singulari reflectio-  
 ne digna est) talem justitiam administrari patietur, qualem  
 causæ præsentis necessitas, & tam Concilij generalis, quam  
 concordatorum prætactorum ratio, ac hujus Metropolita-  
 næ Ecclesiæ, totiusque Archidiocesis & Patriæ Coloniën-  
 sis pax, tranquillitas, & conservatio exposcit, salus enim  
 populi in summo Principe semper suprema Lex esse debet.

*Intelle-*

*Etus Capi-*  
*tuli scri-*  
*ptum 40.*  
*de Elect.*

*Late ex-*  
*ponitur.*

Et quamvis nonnulli contendant, quod electio mino-  
 ris partis in concursu postulationis non habentis duas ter-  
 tias, sed solam majorem Capituli partem, soleat præferri,  
 & confirmari.

Nihilominus hallucinantur gravissimè, & turpissimus  
 est illorum error, qui sacrorum Canonum historicam pro-  
 pagationem, verumque ac genuinum eorum sensum igno-  
 rant, & qui solummodo superficialiter jura Canonica degu-  
 stant, unius Doctoris primam hallucinationem, sicut grus  
 gruem, allatis pedibus insequentes.

*Etenim*



Etenim quod opinionem suam, in *Cap. scriptum 40. de Elect.* fundari posse existiment, error est & facti & Juris apertissimus.

Quem porro errorem, ut totus orbis agnoscat, reflectendum est.

Primo, quod dispositio *Cap. scriptum 40.* contineat specialem Commissionem ab Innocentio 3. Pontifice sanè & maximo & prudentissimo, factam Magistro maximo Notario suo (Hodie prothonotarium dicimus) in causa Electionis Celebratæ à minori parte de plebano S. Pauli de Venetiis ad Ecclesiam Constantinopolitanam, & postulationis Archi Episcopi Eradiensis ad eandem Ecclesiam Constantinopolitanam per majorem partem factæ.

Notandum secundo, quod hæc commissio emanaverit à dicto Pontifice Innocentio 3. ante indicationem concilij generalis Lateranensis, prout patet ex ordine decretalium in titulo de Electionibus registrarum, ubi dictum *cap. scriptum 40.* Est decretalis in ordine 40. quam demum sequuntur Capitula in Concilio generali Lateranensi publicata & ad numerum decretalium relata, *cap. ne pro defectu 41. Quia propter 42. quisquis 43. nihil 44.* postmodum subjiciuntur ordinata per immediatum Innocentij successorem Honorium 3. *Cap. ut præterita 45. cum post 46. constitutis 47. Ecclesia vestra 48.* ac demum subnectuntur ordinata per Gregorium 9. Honorij successorem, in *cap. cum in 49.* cum reliquis usque ad finem inclusive.

Notandum tertio, quod Concilium Lateranense ab eodem Innocentio 3. celebratum fuerit, anno ejus Pontificatus decimo octavo, à nato Salvatore 1215.

Notandum quarto, quod mors ejusdem Innocentij supervenerit, *An. 1216.* & successores habuerit Honorium 3. & post eum Gregorium 9.

Notandum quinto, quod demum in dicto Concilio generali de *An. 1215.* immediatè ante Innocentij tertij obitum,



tum, generalis illa ordinatio de nova hac forma in Electionibus celebrandis perpetuò observandâ, per eundem Innocentium adinventâ, & in Concilio publicata fuerit, in Capitulo Concilij 23. sub iisdem planè formalibus, pro ut ex eodem Concilio ad ordinem decretalium, in cap. *Quia propter* 42. est translata.

In qua conciliari dispositione, cum diserte statuatur, ut imposterum perpetuis futuris temporibus nullæ aliæ Electiones valeant, quam quæ à majori, & saniore parte Capituli, juxta formam conciliarem celebratæ fuerint, sequitur irrefragabiliter, quòd prætenfa specialis ordinatio in Capitulo *scriptum* &c. expressa fuerit totaliter abolita, neque in antea unquam ad similes casus pro jure communi extendenda, sed ad suos duntaxat terminos restringenda. Cum enim in Concilio nova fuerit forma adinventâ & publicata, cum adjecto decreto irritanti, quod oculos habet antè & retrò: Quid quæso post hujusmodi novam & perpetuam conciliarem dispositionem, cum specificâ abrogatione & cassatione quarumcunque aliarum formarum, unquam turpius allegari potest, quam in præsentiarum velle allegare jus in Concilio generali abrogatum, si verum esset, quod Capitulum *scriptum*. Jus Commune antea continuisset?

Et hinc est, quod Pontifices, qui immediatè Innocentium secuti sunt, inter quos Gregorius nonus in ordine est secundus, in suis post Concilium Generale factis decretalibus, occurrente casu electionum à minori parte Celebratarum, tales prætenfas electiones, uti supra probatum est, semper declaraverint irritas, adjectâ ratione, *Quia in Concilio Generali Lateranensi expressè ordinatum & statutum fuerat, ut nullæ Electiones, in antea perpetuis futuris temporibus, pro Canonicis haberentur, aut Confirmarentur, nisi à majori parte Capituli essent celebratæ.* Consequenter cum inter S. sedem Apostolicam, & inclytam Nationem Germanicam, ad tollendas omnes difficultates, quæ occasione Electionum in  
Cathæ-



Cathedralibus, & Metropolitanis Ecclesiis, non raro in eandem desolationem exoriebantur, *An. 1448.* specialia Concordata subsecuta sint, in iisque expressè pactum & concordatum fuerit, quòd nullæ Electiones confirmari debeant à sanctissimo, *Nisi fuerint Canonice*, sequela est, & manet infallibilis, quòd SS. Dominus noster præensam Electionem, quæ à majori parte Capituli celebrata non est, & quæ idèò canonica dici nequit, nunquam confirmare volet, quòd enim summus Pontifex conciliarem dispositionem, & concordata præacta, simul uno ictu evertere, ac omnem Canoniarum ordinationum, & concordatorum compagem dissolvere intendat, id ipsum Domini Capitulares, de moderno prudentissimo, & æquissimo, ac constitutionum Apostolicarum Zelissimo Pontifice, sibi minime persuadere patientur;

Proinde quidquid cum vacillatione scripserit Panormitanus in dicto Cap. *scriptum* &c. Quidquid etiam alii ejus sequaces, de observantia & stylo Curie Romanæ allegent, quæ si curia soleat Electionem minoris partis præferre postulationi per majorem Capituli partem solemniter factæ de persona habili, & idoneâ; attamen certum est, quòd in Germania nullum dari poterit Exemplum, similem Electionem minoris partis, contradicente & opponente majore parte Capituli cum causæ cognitione per viam Justitiæ rejectâ solemnè & Canonicâ postulatione digni, confirmatam fuisse aut confirmari posse, stantibus concordatis, quæ non patiuntur, ut opponente majore parte Capituli, minoris partis Electio confirmetur, nisi forsitan major pars Capituli, vel contra formam Conciliarem peccasset, vel indignum elegisset aut postulasset, tali enim casu totum jus elegendi ad minorem partem transire superius concessum est.

Quin imò, quòd postulati à majori parte Capituli in Cathedralibus & Metropolitanis Ecclesiis Germaniæ hæcenus admissi fuerint, rejectâ electione minoris partis, exem-

D

pla



plura probant quam plurima, è quorum numero singularem reflexionem meretur postulatio Joannis Marchionis Badensis, qui *An. 1456. 21. Junij.* atque ita aliquot annis post inita Concordata in Archi-Episcopum Trevirensis à majori parte Capituli postulatus, confestim agitatissimè in aram summam collocatus, *Et non obstante contradictione Dietherij ab Isenburg à minori parte Electi,* in possessionem Ecclesiæ, & totius Patriæ Trevirensis immixtus, subsequenter à Pontifice confirmatus, tandemque *An. 1459.* ab invictissimo Imperatore Friderico Regalibus investitus fuit, Testibus *Brevior. Annal. Trevir. lib. 19. pag. 290. vers. sedè per Jacobi &c. Kyriander in. annalib. Treviren. parte 15. p. 206. vers. Jacobo primo &c.*

Evidentissimo sanè indicio, quod in Germania, nulla unquam habita fuerit ratio electionis à minori parte celebratæ, etiam in Concursu postulationis. Testati sunt id ipsum Augustissimi Cæsares, & inter Cæteros quidem novissime Ferdinandus III. gloriosissimæ memoriæ, qui in literis ad Cardinalem Columnam datis, pro Carolo Casparo à Petra in Coadjutorem Trevirensis cum futurâ successione sub suâ sanctitatis beneplacito, nominato, in Concursu Hugonis Eberhardi Gratz, per minorem partem designati successoris, solam majorem Capituli partem in Electionum negotiis ex inveterata Germaniæ observantiâ semper consideratam fuisse & considerari debere, prudentissimè monet, sequenti sub verborum Tenore &c. Cum uterque prætendens causam suam nobis diligenter & exposuerit & commendârit, & nos maturè & sollicitè id negotii, pro eo ac ejus gravitas meretur, deliberavimus, sicut igitur sanctitati suæ in his quæ ad cognitionem pertinent, quicquam detrabere, vel derogare non intendimus, *Ita sane, cum res novi in Germaniâ, ac planè periculosi forent exempli, si in hoc vel simili casu majora vota in dubium vel disputationem vocarentur, hoc præsertim tempore, quo sopitis quæ Catholicis cum Aca-*  
tholi.



tholicis intercedebant ( non sine ingenti, quod dolemus ja-  
 ctura ) motibus, ex hac Catholici inter se ad præsentaneam  
 non minus universæ reipublicæ Catholicæ in Germania  
 quam illius Archi-Episcopatus in Confinibus belligerantium  
 adhuc inter se, & Christianissimi Regis siti ruinam, Committi  
 possent, eique rei prævertere tum suam imprimis sanctita-  
 tem, tum nos quoque ex officio Imperatorij nostri muneris,  
 omninò deceat, benignè ac benevolè Reverendissimam Pa-  
 ternitatem vestram requirimus, ut in his ad suam sanctita-  
 tem accuratè referre, idque omni impensiore Curâ agere  
 velit, ut siquidem id omitti non possit, sua sanctitas proces-  
 sum informativum super prælibata electione à Petra, sine  
 dilatione formari, ac totum negotium *ex usu consueto Ger-  
 manie* & pro ut salus, & incolumitas Reipublicæ Catholi-  
 cæ in Germania postulat, quanto ocyus terminari curet.

Quæ clara Invictissimi Imperatoris Ferdinandi III. no-  
 stro jam adhuc currenti ævo, pro majori parte Capituli  
 data testimonia, superabundanter probant, in Germania  
 semper habitam fuisse reflexionem ad Concilium Latera-  
 nense, & Concordata Germaniæ, nullasque Electiones vel  
 postulationes tam Coadjutorum sede plena, quam succes-  
 sorum sede vacante, admitti solitas esse, nisi à majori parte  
 Capituli procefferint, sive Electio minoris partis cum po-  
 stulatione vel Electione majoris partis concurrat, sive non.  
 consideratum siquidem id unice fuit, quod tota activitas  
 Capitularis in majori parte Capituli residere debeat.

In Archi-Diœcesi Coloniensi res quoque clara est, &  
 adeò perspicua ut in legem Patriæ fundamentalem transie-  
 rit, & pro unico ac indispensabili conservandæ Archidiœce-  
 sis remedio, lege publicâ *An. 1462.* sancitum sit, quod  
 omnes patriæ status & subditi, illum duntaxat pro Archi-  
 Episcopo & Domino suo recognoscere debeant, qui à ma-  
 jori parte Capituli fuerit electus aut postulatus, cum inter



electionem & postulationem: Germaniæ mores nullam differentiam agnoscant &c. verba unionis Patriæ sunt sequentia.

*Item quando Capitulum concorditer, vel quando major pars Capituli Dominum elegit, si tunc aliquis, qualiscunque ille fuerit, intra vel extra Capitulum, in tali Electione discordiam excitaret, & dissensionem in patria causaret, ex tunc Nobiles, & Ordo Equestris, Civitates & universa Patria, Domino Electo obedientiam prestare debent, quilibet secundum conditionem sui status, & Dominum in Archi-Episcopatu defendere, & hujus rei Dominus ipsis erit Caput.*

Qui textus unionis, licet de Electione loquatur, tamen postulationem quoque complectitur, cum jura & Instrumenta Antiqua inter Electionem & postulationem non faciant differentiam, his enim vocabulis indifferenter utebantur antiqui, teste Passer. de Elect. cap. 14. n. 1. & notum est, quod in Germania quoad administrationem virtute Electionis, vel postulationis suscipiendam, nulla hætenus habita fuerit differentia, ut probant exempla relata in *summar. n. 5.*

Num. 5.

Licet Eminentissimus Dominus Cardinalis Landgravius de Fürstenberg, ad contestandum suum profundissimum erga S. sedem Apostolicam respectum, hætenus administrationi sese ingerere noluerit sed eandem, *salvo tamen suo jure*, illustrissimo Capitulo relinquere maluerit, ut omnis contra postulationem cavillandi materia præscinderetur, & sanctissimo peculiari suæ Eminentię devotio luculentius perspecta redderetur.

Confidunt ergo Domini Capitulares, majorem & saniores Capituli partem facientes, imo sibi certo promittunt, tantam sibi injustitiam obvenire non posse, quantam Adversarij quidam Blateratores, non sine Contumelia sanctissimi Domini Nostri, passim ominantur, quod nempe postposita majori & saniori parte Capituli, sua sanctitas vota minora, contra sacrorum Canonum dispositionem, & in-

vete.



veteratam, tam hujus quam aliarum Cathedralium & Metropolitanarum Germaniæ Ecclesiarum observantiam, quin & contra Patriæ Colonienfis Legem fundamentalem, sit prælatura: Et profectò quod Cap. *scriptum* &c. non contineat jus commune, observandum in similibus casibus, sed quod ibidem sit facta specialis provisio per Innocentium 3. de consensu ambarum partium Contendentium, docet ipsa clara littera, in qua Pontifex Notario suo (quem hodiè protho Notarium dicimus) committit, & per Apostolica scripta mandat, ut super omnibus, coram sua sanctitate ab utraque parte propositis, non tamen sufficienter probatis, veritatem diligentissimè inquiret, Primo de meritis tam Electi quam postulati, secundò de meritis Eligentium & Postulantium. Ac tertio generaliter de omnibus quæ causam eligentium & postulantium instruere possent. Et denique quarto, *si partes Consenserint, procedat hoc modo, ut si confiterit de mutuo convenisse consensu, &c.* Tunc si postulatio non habeat duplo majorem numerum, Electionem Plebani confirmet &c. Ex quâ verborum structura sole clarius elucescit, provisionem istam non continere jus commune, sequendum in similibus casibus, sed esse specialem, pro eo solo casu factam provisionem de partium Consensu, sicuti benè animadvertit ibidem, *Gloss. in verbo confirmas &c.* hisce formalibus.

*Propter hæc & alia quæ hic dicuntur, dicunt quidam, quod hæc decretalis jus commune non continet, sed fuit quadam provisio de consensu partium, & hoc verò per verba illa superius, Si partes consenserint, hoc modo procedas: Et eo, quod Papa admittit hic postulationem in discordia factam, cum per eum nullum jus acquiratur postulato, supra de postulat. C. penult. Et quia non consuevit admittere tales postulationes in tanta discordia, supra de postulat. bonæ memoriæ &c. sed ubi duæ Partes postulant, aliquem licet jus non acquiratur postulato, ut agere possit, tamen potest petere gratiam, & injuria fit ei, si non fiat ei gratia. Arg. ff.*



de aqua quotid. Et est. l. i. §. permittitur. De hoc notat supra de postul. Et Capitulo penultimo, Et ultimo. Et idem crederem, si major pars postulat, quod gratiam deberet habere. Haecenus Glossa,

Glossam sequitur, Passerin. de Elect. cap. 24. quæst. 15. ubi intellectum dicti Capituli, scriptum ex professo fundamentaliter excusit, & N. 58. concludit in hæc verba; Sed Glossa ver. Confirmes Et. existimat, quod hæc decretalis jus commune non contineat. Sed quod fuerit provisio quædam facta de consensu partium, quod constat ex illis verbis textus, Etsi partes consenserint procedas hoc modo Et. Unde apparet, quod totus modus procedendi in casu illius decretalis, qui subsequitur ad illa verba, Et si partes consenserint Et. dependet à partium consensu, Et quod id, quod in ea decretali decernitur non conformiter ad regulas juris communis fuit provisio pro illo casu sumpta, accedente tamen consensu partium. Et hæc opinio Glossæ est vera Et fundata, ne dum ex ratione dicta, sed quia aliter textus ille est intelligibilis. Quamobrem dicendum est, illam non continere jus commune, sed particularem provisionem sumptam de consensu partium.

Ubi idem Passer. N. 62. diversas proponit absurditates, quæ ex contrario intellectu inevitabiliter sequuntur, primo quod dato hujusmodi intellectu, sequeretur per hoc unicum Capitulum esse abrogatam dispositionem conciliarem Lateranensem, quæ expressè vult, non posse Electionem esse canonicam, nisi fiat à majori parte Capituli, cum tamen Capitulum scriptum Et. sit decretalis, facta ante Concilium Lateranense, ideoque absurdum sit dicere, quod posteriorem Conciliarem dispositionem potuerit evertere, cum hæc conciliaris uti posterior evertat illam, uti anteriorem. Secundo quod jure Communi jus eligendi non devolvatur ad minorem partem, nisi major pars scienter elegerit indignum, Cap. cum in cunctis 29. §. fin. de Elect. & tamen admissio tali intellectu hujus decretalis sequeretur, quod  
Electio



Electio devolveretur ad minorem partem, etiam si non maior pars elegisset indignum.

Tertio, in dicto Cap. *Scriptum* expresse præcipitur, ut si constiterit duplo majorem numerum in postulatam convenisse, quod cassata Electione, postulatio debeat admitti ubi &c. *Si duplo majorem facerent numerum, tu vice nostra postulationem admittas, plebani Electione cassata*; Cujusmodi dispositio, si jus commune contineret in similibus casibus observandum, inde sequeretur, quod omnis postulatio facta à duplo majori numero; seu à duabus tertiis, semper deberet admitti per sanctissimum, quod tamen Adversarij negare volunt.

Quarto in eodem Capitulo *Scriptum &c.* iterum discretè præcipit Pontifex, ut si constiterit pro postulato extare numerum duplo majorem; quod eo casu postulatio admitti debeat, licet postulatus sit Archi-Episcopus alteri Ecclesiæ alligatus, ibi &c. ac. (*Plebani Electione cassata*) ipsum Archi-Episcopum absolvas à vinculo, quo Eradiensi Ecclesiæ tenetur concedendo ipsum Constantinopolitanæ Ecclesiæ in Pastorem.

Qualis pariter dispositio, si continet jus commune, in aliis similibus casibus, de necessitate observandum, sequeretur & illud absurdum respectu partis Adversæ, quod omnis Episcopus, ad alium Episcopatum vel Archi-Episcopatum à duabus tertiis postulatus, per sanctissimum semper à vinculo prioris Ecclesiæ absolvi, & alteri Ecclesiæ, ad quam postulatus est, in pastorem concedi deberet, quam illationem nec à moderno Sanctissimo Domino nostro, neque ab ullo in sede Apostolicâ successore, unquam admitti posse, iterum Adversarij omnes uno ore conclamant.

Igitur ne Adversarij, & eorum sequaces, in voraginem & Labyrinthum absurditatum dilabantur, unde se extricare non poterunt, necesse est, ut cum *Passerino dicto Cap. 24. quest. 15.* concedant, prout veritas est, in dicto cap. *Scriptum &c.* non Contineri jus commune sequendum in similibus



libus casibus, sed specialem duntaxat provisionem, pro eo casu factam de consensu partium, & quidem ante celebratum concilium generale Lateranense, in quo postmodum reprobatis omnibus aliis anterioribus electionum formis, nova conciliaris forma introducta, & statutum fuit, ut nulla alia Electio valeret, quam quæ à majori parte capituli esset Celebrata.

Erronea ergo est eorum opinio, qui tradiderunt *in Cap. scriptum &c.* contineri jus commune, sequendum in casibus similibus, quam nec juvare posset integra Doctorum Centuria, cum non spectandum sit, quid Doctores scribant, sed ex qua ratione scripserint, multa enim obiter & perfunctorie ab illis traduntur, quæ inspectâ rei fundamentali veritate, erronea comperiuntur, uti magistraliter advertit, *Melchior Lotter de re benef. lib. 1. quest. 18. n. 13.* dicens, manifestum esse, quam sit periculosum ex Doctorum ambagibus, atque obiter dictis, controversias decidere, cum sæpe male accepta, pejus exponantur; Unde *lib. 1. q. 24. n. 185.* dicit, quod Doctorum opiniones sine ratione solidâ sint deridendæ, non imitandæ, & *lib. 1. q. 39. n. 99.* notat, multitudini Doctorum non semper esse deferendum in judiciis, ac demum *lib. 3. quest. 33. n. 75. & 77.* monet, quod sola numerositas Doctorum neminem movere debeat, nisi visi fuerint in fonte, Pro ut in præsentî articulo Juris ex modo deductis ad oculum patet, gravissimum errorem errasse Doctores, qui non inspecto veritatis fonte perluadere conantur electionem minoris partis præferri debere, aut posse postulatione per majorem Capituli partem factæ; Nisi forsân tam postulantibus quàm eligentibus suam respective postulationem & Electionem ad arbitrium sanctissimi submitterent, stante enim tali partium consensu liberum foret sanctissimo Electionem admittere postulatione rejectâ, secus verò si utraque pars suæ & postulationi & Electioni insistat, & quæstio sit an ex justitia Electio minoris partis confirmari possit, parte  
 majore



maiore reclamante, & postulationis admissionem petente, & urgente, quo casu Electionem confirmari non posse, veritas est probata per *Passerin. d. Cap. 24. q. 15.* quam ex *Nationalibus* sequuntur, *Pyrbing. de Postul. Prælator. §. 4. Ludov. Engels de postul. prælat. n. 6. vers. sentiunt tamen.* licet in casu, de quo in præsentiarum agitur, supervacaneum sit dicti Capituli *Scriptum &c.* intellectum pressius investigare, cum semper certum sit, nullam hic extare electionem, vel à majori, vel minori, vel ab una tertia parte Capituli celebratam.

Quandoquidem luculenter superius deductum & probatum sit, solam extare nominationem personæ Eligendæ in scrutinio factam; *absque ullo subsequuto Electionis actu.* Ad hoc enim ut in concursu Electionis cum postulatione à majori parte Capituli facta, possit haberi aliqua ratio minoris partis, necesse est, ut ad minus extet Electio communis, per unum facta, prout in casu sæpè tacti Capituli *Scriptum &c.* tam postulatio solemnis, quam electio minoris partis, quo ad formam ipsam, quæ ante concilium necessaria erat, canonicè celebrata esse præsupponitur in verbis &c. *de meritis Electi & postulati &c. Et iterum in verbis &c. ubi hujusmodi Electio & postulatio celebrata fuerunt &c. & iterum in verbis, Tu Electionem Plebani Authoritate nostrâ confirmes. & iterum in verbis &c. Et hoc quoque casu Electionem confirmes.*

Quæ verba clarissimè evincunt ad litteram, quod in dicto capitulo *Scriptum &c.* præsupposita fuerit existentia Electionis, jam tum realiter, secundum formam canonicam celebratæ, non autem sola nominatio facta in scrutinio sine subsequuta communi Electione, seu absque reali Electionis actu &c. qualis Electio in terminis nostris notoriè deficit.

Et fanè quod nullo unquam casu habeatur ratio solius nominationis factæ in scrutinio, palam evincitur ex eo, quod licet electio minoris partis præferri debeat Electioni à majori parte Capituli celebratæ, si major pars scienter elegerit

E

elegerit



elegerit indignum, uti disponitur, *in Capitulo cum in cunctis, §. finali. de Elect.* Tamen hoc demum procedat, si minor pars suum in Scrutinio nominatum communi, & publicâ Electione, *per unum* elegerit, quia absque tali communi Electione, non potest dici adesse electio, sed simplex nominatio facta in Scrutinio, quæ ad Electionem non importat, ut post Panormit. exactè probat *Passerin. de Elect. C. 31. q. 2. n. 9. & Io. his formalibus. Hinc tamen colligitur, quod minor pars, ut ejus electio sit valida, debet habere Electionis decretum, seu Electionem ab uno factam, ut supra cap. 19. q. 5. dictum est, & est de forma Electionis statuta in cap. Quia propter &c. Unde si sola major pars eligat, minori parte nihil aliud agente, nisi quod in scrutinio nominavit idoneum, sed illum postea non eligit Electione communi & publicâ, utraque Electio erit cassanda, Electio scilicet majoris partis, quia est indigni, & Electio minoris, quia non est Electio, sed simplex nominatio partis facta in scrutinio; Consequenter cum in nostro Casu sola extet nominatio facta in scrutinio absque Electione, *per unum* subsecuta, semper remanet verum dicere, in concursu postulationis solemnæ de Eminentissimo Cardinali Landgravio de Fürstenberg, non extare Electionem, sed solæ Electionis celebrandæ præambula, quæ ob non subsecutam communem Electionem *ab uno*, per verba singularis numeri, remanent infecta, uti superius punctualissimè probatum fuit.*

probat  
votum Se-  
renissimi  
Principis  
Badensis  
non posse  
computa-  
ri in nu-  
mero vo-  
torum.

Qualis porrò sola prætenfa nominatio facta in Scrutinio, eo minus in præsentiarum pro Electione allegari meretur, attento, quod etiamsi Electionis actus extaret, uti non tamen pro sustinenda irritatione votorum, pro hujusmodi jactatâ Electione militantium, talia in facto concurrant, quæ singula penè vota radicaliter, & ita quidem inficiunt, ut in numerum votorum referri nequeant.

Etenim de voto Serenissimi Principis Hermannii Marchionis Badensis, illa manifesta adest infectio, quam textus ipse *in cap. Quia propter &c.* subministrat, in verbis. *Illud autem*



*autem penitus interdiximus, ne quis in Electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco, de quo debeat advocari, justoque impedimento detentus venire non possit, super quo, si opus fuerit, fidem faciat juramento, & tunc, si voluerit, uni committat de ipso collegio vicem suam.*

In quo textu, pro sustinendo absentis suffragio, per Procuratorem ferendo, plura *Copulativè* præscribuntur, quorum primum est, ut absens in eo loco existat, ex quo ad Electionem citari debuisset. Secundum, quod sit legitimè impeditus, quo minus Electionis negotio personaliter interesse valeat. Tertium, quod de hujusmodi impedimento fides fiat corporali juramento, per ipsummet absentem corporaliter præstito, vel per procuratorem ejus nomine in vim specialis mandati, præstando, si exactum fuerit. Quæ omnia in Persona Serenissimi Principis Badensis, ejusque asserto procuratore, manifestè deficiunt, tunc quod absens fuerit, tam de tempore emanatæ Citationis, quàm celebrandæ Electionis, extra Archi-Diæcesin Coloniensem, Viennæ & Ratisbonæ commorans, & consequenter in eo loco, ex quo de jure non erat eum necesse ad Electionem vocare, *Gloss. in cap. cum inter de Elect. verbo Remoti &c.* Tum quod juramentum super legitimo impedimento, nec ipse corporaliter præstiterit, nec procuratori suo, ad illud in animam suam præstandum, mandatum speciale dederit, prout ad validitatem voti necessariò dandum fuerat. Tum quod Constitutus præsentis procurator, de insufficientia mandati, & de necessitate juramenti, super legitimo sui Domini constituentis impedimento præstandi, debitè monitus, neque speciale mandatum producere potuerit, neque juramentum præstare voluerit, aut potuerit, sed in Scrutinio suffragium dederit, domini constituentis periculo, & nullitate illius salvâ.

Ex quibus substantialibus mandati procuræ defectibus, evidens remanet votum hujusmodi fuisse, & esse ipso



jure nullum, ideoque in numero votorum minimè compu-  
 tandum, *Barbos in d. Cap. Quia propter &c. n. 37. in verbis. Jul.*  
*Lavor. Var. Lucubrat. Tom. 3. tit. 4. Cap. 17. ex num. 45. ubi*  
*num. 47. refert rotæ divisionem in Calaguritana beneficii*  
*de Morillo 13. Novemb. 1620. coram bonæ memoriæ Ubal-*  
*do, in qua fuit dictum, Tria requiri ad hoc, ut votum absenti*  
*per Procuratorem possit sustineri, quæ sunt primò, ut quis sit in lo-*  
*co unde evocari possit. Secundo, & quod justo impedimento de-*  
*tentus venire non possit. Tertio, & quod Procurator habeat man-*  
*datum ad jurandum super dicto impedimento. Et idem Barbos,*  
*de jure Ecclesiastico univ. verso lib. 1. cap. 19. N. 101. & 108. cum*  
*seq. ubi N. 109. & Lavor d. cap. 17. n. 36. refert, quod impe-*  
*dimentum debeat esse verum, puta, quod vel ob inimici-*  
*tias capitales, vel ob gravem infirmitatem, vel ob adversam*  
*navigationem, venire nequeat, vel quod in castro obsessus*  
*egredi non possit. & N. 110. subjungit, quod Procuratori asse-*  
*renti legitimum impedimentum non credatur, nisi ad jurandum*  
*in super impedimento, mandatum produxerit. Mandagot. de E-*  
*lect. Cap. 11. p. tot. signanter in verbis; Quia de impedimento*  
*absentis fides debet, ut est dictum, fieri, si opus fuerit, juramento,*  
*ne cesse est, quod vel juret per se constituens, vel Procuratori suo,*  
*quem ad eligendum ordinat, specialiter id committat, alias non*  
*reputabitur sufficiens Procurator. Ubi idem Mandagot. se-*  
*quentia subjungit; Sanè hoc juramentum duo Capitula contine-*  
*bit, quod constituens erit, vel credit Electionis tempore bona fide,*  
*ac sine fraude infra fines, ad vocandum absentes pro electionibus*  
*deputatos, fines ipsos specialiter exprimendo, item quod impedi-*  
*mento tali tenetur, propter quod non potest modo in Electionis ne-*  
*gotio interesse, & credit vel dubitat, quod eodem impedimento te-*  
*nebitur, cum Electio ipsa fiet &c. Ex quibus in propatulo est,*  
*votum Serenissimi Principis Badensis, ob substantiales de-*  
*fectus præactos, in numero votorum computari non pos-*  
*se, adeoque octo duntaxat vora pro asserta Electione adesse;*  
*maximè cum ultra talem nullitatem concurrat notoria pro-*  
 fessio



fessio armatae militiae, quam memoratus Serenissimus Princeps Badensis à pluribus retro annis, in qualitate Generalis secutus est, non solum recenter contra infideles, sed & pridem contra alios Europae Christianos Principes arma ferendo, acies instruendo, Urbes expugnando aliaque publica militaria officia exercendo, in occasionibus multifariis, in quibus ad saeva deventum fuit, ex quibus se ad votum in Electionibus ferendum, ratione incursum notoriae irregularitatis reddidit inhabilem, adeo ut ipsius votum in numero computari non possit.

Unde cum octo vota unam solummodo tertiam partem totius Capituli (consistentis in 24. personis vocalibus) constituant, & omnes ex adverso citati Doctores in eo conveniant, quod Electio ab una tantum tertia parte Capituli facta, nullo casu possit praeferi postulationi solemniter celebratae à majore parte Capituli, ex ea ratione, quod talis tertia, nihil participet de potentia, vel activitate Capitulari, ut fatetur, *Panor. in dicto Cap. Scriptum 56. N. 7. 514.* Idcirco ex propria partis adversae sententia concludenter sequitur, non extare in casu nostro Electionem, quae in concursu postulationis praeferi valeat.

Idque vel maxime ex eo, quod ultra modo deductam nullitatem voti Serenissimi Principis Badensis, aliae concurrant, tam hujus quam aliorum votorum ad Electionem directorem, insanabiles pariter nullitates.

Inter quas & illa non minima est, quod ne dum ex propositione saepe memorati Domini Comitis de Kauniz, in Capitulo facta, superius *N. 1.* adjuncta, sed etiam ex alia ferissima comminatione, dignitatem Electoralem ab Ecclesia Coloniensi ad aliam Cathedralem vel Metropolitanam transferendi, si in Eminentissimi Domini Cardinalis Landgravij de Fürstenberg personam vota dirigerentur, diversorum Eligentium suffragia, ab ejusdem Eminentissimi postulatione territa fuerint, ita ut eorum vota contra



canonicas sanctiones in cap. quisquis 43. de Elect. & in cap. sciant cuncti 12. de Elect. in 6. pro immunitate Ecclesiastica, & omnimoda in Electionibus libertate conservanda, à summis Pontificibus, & conciliis generalibus editas, ac in S. Concilio Trident. sess. 25. cap. 20. innovatas, in numero votorum, ad sustinendam assertam Electionem Serenissimi Principis Josephi Clementis, computari non possint.

Tacendo amplissimas promissiones diversis Capitularibus factas, ad divertendos ab Eminentissimo Cardinali animos; prætereundo etiam gravissimas Comminationes de persequendâ, opprimendâ, & delendâ totâ familia, tam in Personis, quam in bonis, quæ per sæpè fatum Dominum Comitem de Kaunitz, cum perpetuo immunitatis Ecclesiasticæ, & libertatis Electionum canonicarum dispendio, aliis Capitularibus factæ fuerunt, in Eventum quo vota sua in Eminentissimi Cardinalis Landgravij de Fürstenberg Personam dirigere præsumerent.

Et quamvis similes minas, non ex speciali Inviētissimi Cæsaris mandato, sed à Ministris duntaxat processisse, Domini Capitulares sibi persuasum habeant, utpote de conatâ Augustissimæ domui Austriacæ incomparabili benignitate, & Ecclesiasticæ libertatis conservandæ Zelo, longè aliter sentientes, probari tamen poterit à Ministris Cæsareis, tales Comminationes, & respectivè promissiones factas esse, si sua sanctitas ad effectum examinandi Testes, specialem remissoriam, visâ articulorum relevantiâ, concedendam necesse judicaverit. Prout etiam mediante hujusmodi remissoriâ probabitur, quibusdam Dominis Capitularibus ex litteris, ut dicebatur, Cæsareis, prælectum fuisse, quod quatenus vota in Serenissimum principem Bavariæ dirigent, per hoc gratiam Cæsaream promereri possent, si verò Contrarium facerent, illis indignationem Cæsaream indicarent.

Quidquid autem sit, an Eminentissimus Dominus Cardina-

dina-



dinalis Landgravius de Fürstenberg, sub prætextu tam enormium delictorum, ipsi in præfecta Capitulari propositione Domini Comitis de Kaunitz imputatorum, non citatus, non auditus, non convictus, ab Electione vel postulatione passivâ, per potestatis secularis Ministrum, excludi potuerit, uti minimè fieri posse probat *Passerin. de Elect. Cap. 2. q. 4. n. 82. & seq.*

Hoc tamen ex omni superabundanti pro nunc additur, quod pleraque vota, in Electionem Serenissimi Principis Josephi Clementis directâ, quæ aliàs in negotio Coadjutoriæ, pro futura Eminentissimi Cardinalis successione, unanimi consensu, sub religione juramenti Corporalis data fuerant, ab ejus persona declinaverint, expressè & prorsus erronea.

Siquidem notorium, quin & vulgi fabula est, quod plerique ex Dominis Capitularibus, qui in Electionem Serenissimi Principis Josephi Clementis consenserunt, eâ sinistra impressione persuasi fuerint, quasi Sanctissimus Dominus noster jam tum perpetuo immutabili decreto firmasset, quod nec Electionem de Eminentissimo Domino Cardinali Landgravio de Fürstenberg celebrandam, etiam si ea omni ex parte canonica foret, unquam confirmatura, neque illius postulationem, licet à duabus tertiis, imo ab omnibus, nemine excepto, in plenissima concordia fieri contingeret, admittenda esset, sed pro hac vice solam Electionem Serenissimi Principis Josephi Clementis, qualiscunque illa demum foret, etiam sanando substantiales juris & facti defectus, confirmare irrevocabiliter statuisset, ideoque vanum & inutile esset votum ullum in Eminentissimi Cardinalis postulationem dirigere, productis ad hujusmodi subornationis fidem stabiliendam litteris ex curiâ romanâ scriptis, vel quæ ex curiâ scriptæ asserebantur.

Quæ quidem sinistra subornatio licet à prudentioribus, de suæ sanctitatis prudentissimo Pontificatu longè melius



Ius informatis, merito explodi debuerit, nihilominus tam  
 profundas in quorundam animis radices egisse experientia  
 docuit, ut adhuc vulgi fama credat, Sanctissimum ita irrevocabiliter decrevisse, adeo ut non defuerint, qui ad huiusmodi opinionem eo firmiter imprimendam, ipsa verba brevis à Sanctissimo. *die primâ Julij 1688.* ad suam Eminentiam, in puncto eligibilitatis directo, cujus copia datur sub Num. 6. *N. 6.* in tam sinistram sensum torquere præsumperunt, ut ex eo præactam suæ Sanctitatis intentionem colligi posse, passim persuadere conati fuerint; injuria suæ Sanctitati irrogata suo loco reponitur, hoc unice, ad nullitatem jactatæ Electionis evidentius detegendam, dicitur, quod vota per talem falsam impressionem & subornationem data, sint ipso jure nulla, tanquam procurata per suggestionem, claudens causam talibus suffragiis in scrutinio ferendis.

Erroneam autem fuisse huiusmodi impressionem, promittit pietas Sanctissimi Domini nostri, ejusque singularis solertia, pro conservanda libertate eligendi, vel postulandi personas, ad Regimen Cathedralium vel Metropolitanarum Ecclesiarum magis idoneas, quæ libertas penitus sublata foret, si eligendi vel postulandi facultas ad eos, qui in proprio gremio magis reperiuntur esse idonei, extendi non posset, sed ad unum vel plures suæ sanctitatis decreto coarctata fuisset; ad unicam etenim personam Electiones coarctari, nec ipsa Electionis vocula, nec natura rei, neque canonica patitur dispositio.

Excludi autem voluisse Eminentissimum Cardinalem Landgravium de Fürstenberg, tam à postulatione solemnibus, quam ab Electione Canonica, eximie ejusdem virtutes, & multifaria Coloniensi Ecclesie à 40. & pluribus annis, præstita officia non permittebant.

Quin & contrarium suadebat suæ Sanctitatis declaratio, eidem Eminentissimo Domino Cardinali facta, in indulto providendi concessio, in quo expresse insinuatur, suæ Sancti-



Sanctitatis intentionem non esse, ut Eminentissimus Dominus Cardinalis Ecclesie Argentinenſi perpetuo, quoad vixerit, alligatus remaneret, sed quod ad alias etiam Cathedralis vel Metropolitanas Ecclesias, dummodo ipsum ad eas canonicè eligi, vel postulari contingeret, autoritate Apostolica transferri, vel de iisdem provideri posset, ut docet clausula concernens sub *N. 7.*

Num. 7

Denique suæ Sanctitatis voluntatem non fuisse, ut ullus de Capituli Gremio ab Electione, vel postulatione passivè excluderetur, testari fecit per litteras sui Domini Nunciij, ante Electionis celebrandæ terminum *die 13. Julij 1688.* Illustrissimo Capitulo scriptas. in copia *N. 8.* adjunctas.

Num. 8

Manifestissimè vero eandem suæ Sanctitatis semper fuisse intentionem, ut liberrimis votis ad electionem vel postulationem, absque exclusione alicujus personæ in gremio idoneæ, procederetur, illustrissimo Capitulo declaravit, in novissimo suo brevi de tertia mensis Julij 1688, ad omnes Dominos Capitulares directo sub *N. 9.*

Num. 9.

Dum in eodem ex paterna, quam pro Ecclesia Coloniensi gerit sollicitudine, Dominos Capitulares omnes expressè & vehementer in Domino hortatur, ut in eligendo Successore, augmentum divinæ gloriæ, unicè propositum habeant. *in eumque tantummodo conveniant, quem præclaris magnoque Præsule dignis dotibus N. B. insignitum, ad omnes Pastoralis officij partes laudabiliter obeundas magis inter N. B. se ipsos ( N. B. id est Capitulares ) idoneum agnoscerent.*

Quæ toties reiteratæ tanti Pontificis declarationes concludentissimè probant, sinistram fuisse contrariam impressionem, ad animos Dominorum Capitularium ab Eminentissimi Domini Cardinalis postulatione divertendos, excogitatum: cui accedit, quod quatuor Presbyteri Canonici Capitulares, ad dirigendum vota sua in Serenissimum Principem Josephum Clementem, ex hac quoque potissimum causa fuerint permoti, ut & penes Capitulum ad 8.

F

vel



vel 9. annos permaneret Administratio, tam in Spirituali-  
 bus quam temporalibus, & redditus Archi-Episcopalis men-  
 sæ ad extinguenda debita Archi-Diœcesis applicarentur,  
 Cuilibet verò sanæ mentis considerandum relinquitur, an  
 inutilitatem Archi-Episcopatus Coloniensis hæc administra-  
 tio cedere valeat, annon porius eadem extremam post se  
 traheret ruinam, benè considerato, quod Archi-Diœcesis  
 Coloniensis, tum propter suam situationem, tum vicinos  
 Principes, qui magnam ejusdem partem sibi appropriarunt,  
 Potentem Principem & rerum gerendarum expertem re-  
 quirat, qui & deperdita recuperare, & ea conservare possit,  
 quibus indies insidiæ struantur; exiguum etiam sanè emo-  
 lumentum, ex redditibus Mensæ Archi-Episcopalis redun-  
 dare posse, notorium est, quandoquidem Mensa Archi-E-  
 piscopalis, solutis pensionibus, annuè summam 45000. scu-  
 torum Romanorum non importet, in necessarios Mini-  
 stros, inevitabiles expensas & sustentationem Administra-  
 toris quasi integraliter impendendam, unde evidens est,  
 quod administratio hæc Archi-Diœcesi foret periculosa &  
 damnosa, sustineri quoque possit, pacta hæc esse omninò  
 exorbitantia, & propositionem harum conditionum sum-  
 mopere præsumptuosam, ac si ministri Bavarici super tota  
 Authoritate Pontificia disponere possent, quæ iterum satis  
 manifestè docent, dictos Dominos Capitulares erroneis  
 plenè impressionibus ad Electionem motos fuisse, ut ita sin-  
 gula in unum Collata plenissimè evincant, pro Serenissimo  
 Principe Josepho Clemente Baviaræ Duce &c. non extare  
 Electionem, quæ à Sanctissimo veniat confirmanda: Maxi-  
 mè cum Serenissima sua celsitudo demum, sede vacante,  
 eligibilitatis indultum sub die 19. Junij 1688. obtinuerit, quod  
 in aliorum de gremio existentium (quibus solis jus electio-  
 nis passivæ quæsitum erat) præjudicium minimè extendi  
 potuit.

Restat igitur solummodò in præsentiarum inquirere,



an ad postulationem validam & canonicam, sola major pars Capituli suffragetur, ad hoc, ut à Sanctissimo admittenda veniat.

Pro cujus resolutione breviter respondetur, quod postulatio à sola majori parte Capituli solemniter, juxta formam Capituli quia propter &c. celebrata: sit valida, & per Sanctissimum admittenda, Latè Passerin. de Elect. Cap. 24. q. 6. per tot. prout postulationes per majorem Capituli partem factas, hætenus à Sanctissimis Pontificibus, in vicem Canonice Electionis, utpote in cujus locum subintrant, semper admitti solitas esse, omnium temporum testata est experientia.

Idque ex ea viva ratione, quia postulationes perpetuo fiunt de personis magis habilibus, magis idoneis, & magis Ecclesie utilibus, ideoque semper continent causam evidentis Ecclesie utilitatis vel necessitatis, & ex hac ratione continere dicuntur causam justitiæ merito impellentis superiorem, ad admittendas ejusmodi postulationes, utilitatis causam factas, uti insinuat Lotter. de re benef. L. 3. q. 17. n. 234.

Et in puncto, quod confititur de utilitate in Ecclesiam redundaturam per postulationis admissionem, vel de damno ex admissionis denegatione in Ecclesie perniciem pullulaturam, semper superior teneatur, ex lege justitiæ admittere postulationem, etiam in discordia factam, dummodo à majori parte Capituli facta sit, articulo specialiter discusso, probat Passer. de Elect. Cap. 24. q. 14. n. 48. ubi inquit, *Nam quod superior teneatur admittere postulationem, contingere potest ex lege Justitiæ Legalis connaturali officio superioris, per quam tenetur necessitati Ecclesie subvenire, & boni Communis utilitati consulere, & in hoc casu tenetur superior admittere postulationem, etiam factam in discordia, dummodo sit facta à majori parte.*

Quibus omnibus in præsentis contingentiæ facti maturo judicio ponderatis, remanet primo conclusio firma, pro Serenissimo Principe Josepho Clemente, utriusque Bavarie



44.

Duce, non extare electionem à sanctissimo confirmandam, sed postulationem Eminentissimi Domini Cardinalis Landgravi de Fürstenberg à majori & saniori parte Capituli solemniter factam, remanere canonicam, & à sua sanctitate in Evidentem Coloniensis Ecclesiæ utilitatem, justitiâ & æquitate dictante, omninò admittendam.

Facta enim est ab omnibus Prælatibus Illustribus, videlicet Præposito, sub Decano, Chori-Episcopo, Scholastico, Diacono Seniore, Diacono Juniore, Thesaurario, aliisque ex ordine sequentibus senioribus Illustribus Capitularibus, majorem & saniozem Capituli partem indubitato constituentibus.

Postulatur persona de gremio Capituli existens, & quam sua sanctitas post affecutionem Episcopatus Argentinensis, mediante dispositione, de gremio Capituli Coloniensis remanere voluit, ut prius de gremio illius extiterat.

Cujus dispensationis virtute, Eminentissimus se Eligibilem mansisse credit, ut prius ante affecutionem Episcopatus Argentinensis ad Archi-Episcopatum Coloniensem eligibilis fuerat, ideoque de speciali indulto eligibilitatis parum sollicitus fuit.

Postulatur persona de negotiis Capituli, Ecclesia, totiusque Patriæ Coloniensis longissimâ rerum experientia, præ cæteris informatissima.

Utpotè quæ pro Ecclesia & Patria Coloniensi, in qualitate Canonici Capitularis ultra quadragesimum, in qualitate Scholastici & Prælati ultra trigesimum annum, in qualitate Decani vero & primarij Prælati, ab annis pluribus, ne dum indefessos Labores exantlavit. Sed etiam maxima eidem Ecclesiæ & Patriæ officia & beneficia hæctenus præstitit, & ulteriora præstare potens est & parata, ideoque merito ipsi obtingere debeat, quod jubent sacri Canones *in cap. nullus: dist. 61. ut habeat unusquisque fructum sue militie in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit etatem.*

Postu-



Postulatur ille, quem Serenissimus Claræ memoriæ, postpositis propriis consanguineis, sibi vivo Coadjutorem & defuncto Successorem, præ cæteris Ecclesiæ utilissimum designavit, quin & pro illius admissione in extremis penè constitutus, suæ Sanctitati instantissimè supplicare non desistit, per litteras, quæ dantur *summar. 10.* *N. 10.*

Postulatur idem ille, cui Successionem in Archi-Episcopatu Domini Capitulares concordibus votis non ita pridem, mediante Coadjutoriâ à Sanctissimo concedi intensissimè petiverunt, insuperque sede per obitum vacante, pro obtinenda hujusmodi successione iteratis literis sub *N. 11.* adjunctis, desideria sua Sanctissimo Domino nostro *N. 11.* plenius explicaverunt.

Postulatur persona, quæ præclaris, magnoque Præsule dignis dotibus insignita, ad omnes Pastoralis officij partes laudabiliter obeundas, maximè est idonea.

Quæ ad Ecclesiam & Patriam Coloniensem piè fortiter, prudenter & pacificè regendam & administrandam, omnium judicio reperitur capacissima.

Quam Sanctissimus Dominus noster, propter eximias virtutes, & meritorum magnitudinem, purpurâ cardinalitiâ sublimavit.

Quæ denique talis est, qualem sua sanctitas, in ultimo Brevi, ad Illustrissimum Capitulum directo, & supra *N. 9.* adjuncto, desiderare testata est, monendo vehementer in Domino Capitulares omnes, ut ex proprio gremio, in eum tantummodo convenirent, quam *NB. inter se ipsos magis Idoneum agnoscerent.*



Cum tali postulato, concurrat Serenissimus Princeps Josephus Clemens utriusque Bavariae Dux, à solis quatuor Junioribus Illustribus, apud Ecclesiam non residentibus, adeoque rerum Ecclesiae, & Patriae, vix ullam notitiam habentibus, uti & à quatuor duntaxat junioribus Presbyteris Canonicis Capitularibus, Capituli gremium ante paucos annos prius ingressis, praetensè electus, 17. aetatis annum vix ingressus, haecenus necdum Capitularis, in Ecclesia Coloniensi nunquam visus, duabus aliis Ecclesiis Cathedralibus, Frisingensi videlicet & Ratisbonensi alligatus, de Principali praepositura Berchtesgadensi provisos, administrationi suscipiendae adhuc impar, ante 18. annum ad Collegium Electorale inadmissibilis, & in quo singula in praesentiarum adhuc desiderantur, quae in postulato superabundant.

Postulatum ergo admittendum & praefendum, urget canonicae Postulationis Justitia, suadet sana ratio, & evidens Coloniensis Ecclesiae exposcit utilitas. Fiat, fiat.

PRÆ.



PRÆLIMINARIS  
&  
SUMMARIÆ

Puræ tamen veritati innitens responsio,  
Eminentissimi Principis Cardinalis de Fürstenberg  
&c. data ad propositionem, à Sacræ Cæsareæ Ma-  
jestatis Legato Excellentissimo Domino  
Comite de Kaunitz.

*Decimâ quartâ Julij 1688. Illustrissimo & Re-  
verendissimo Capitulo Metropolitano Colo-  
niensi prælectam.*

Credibile non est, duram & acerbam nimis propositio-  
nem, ab Excellentissimo Domino Comite de Kaunitz,  
nomine Cæsareæ Majestatis, Domini nostri omnium  
Clementissimi, Illustrissimo & Reverendissimo Capitulo  
Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniens. XIV. Julij, prælectam,  
Sacræ suæ Cæsareæ Majestatis Clementissimæ voluntati,  
menti, & intentioni esse conformem, sed potius eandem, ex  
sinistra unius vel alterius studio partium nimium laboran-  
tis suggestionem provenisse.

Causa hujus præsumptionis exinde oritur, quod neque  
benefatus Dominus Comes, hujusmodi suæ propositionis  
copiam communicare, nec etiam an protocollum desuper  
confectum eidem concordet, declarare voluerit, quæ  
præsumptio tantò magis augetur, quod tanta sit, & tam no-  
ta universo orbi Sacræ Cæsareæ Majestatis Clementia, ut se-  
mel oblivioni tradita, nemini denuo imputet, tantus æqui-  
tatis & Justitiæ amor, ut nulli delatori sine probationibus  
fidem



fidem adhibeat, tam sanctum & constans servandæ & tuendæ tranquillitatis studium, ut quod per pacta pacis publicæ semel est abolicum, denuò nunquam resuscitari, aut in lucem prodire cupiat, aut patiatur,

Unde expressa fit protestatio, omne id, quod hic pro debita defensione læsi honoris, & famæ (quæ vitæ æquiparatur, & cum eadem pari passu ambulat) adducitur, nullo planè modo in Contemptum Sacræ Cæsareæ Majestatis (utpotè cui, tanquam Supremo Capiti, debitam semper submissionem, Eminentia sua præstare, ac pro cuius Throno & Sceptro, corpus & vitam, bona & sanguinem profundere, parata est) sed nudè tantum, pro conservatione integræ existimationis, pro tuendo Libera Electionis jure, pro confusione demum eorum, qui privatos respectus bono publico præferunt, & sub specioso prætextu Cæsareæ authoritatis, & Securitatis Imperij proprio suo Commodo inhiant intelligi.

Oportet quidem omne id., quod tempore belli accidit, & pace sopitum est, perpetuæ oblivioni tradi, nec ulli quicquam contumeliosè exprobari, cum id ipsum ab aliis, nec absque causa, pro pacifragio haberi possit, si ea, quæ tempore belli evererunt, postmodum verò per Amnistiam tam generalem, quàm etiam intuitu Eminentissimi Domini Cardinalis specialem, pro ut adjuncti articuli pacis (Lit. A.) secum ferunt abolita sunt, in memoriam revocari contingeret.

Quia verò Eminentissimi Domini Cardinalis fama nimis atrociter sugillatur, avita ipsius Domus ac familia pluribus Principibus sanguine juncta, coram universo Mundo diffamatur, Axioma, seu dignitas Principis (quod ipsamet sua Sacra Cæsarea Majestas in pluribus manu propriâ exaratis litteris, & recenter adhuc in Credentialibus per D. Comitem de Kauniz suæ Eminentia extraditis, cum summo benevolentia suæ affectu Clementissimè agnovit)



vit) pedibus substernitur, purpura ejus Cardinalitia labe  
 foedisimâ contaminatur, nec quicquam eorum omitti-  
 tur, quod ad summam ejus ignominiam possit tendere.

Hic jura omnium Gentium Suæ Eminentiaë justam ex-  
 cusationis causam præberent, si forte urgente illa neces-  
 sitate, quædam hic adducere, & recensere cogatur, quæ  
 Adversariis ejus, & minus grata, & eorum toto mundo  
 propudiosa censerî possunt.

Utro hic silentio præteritur, quod sexennalis Capti-  
 vitas Eminentissimi Domini Cardinalis, à potentissimis Re-  
 gibus, & Principibus, Juri Gentium adversari Credita, adeo-  
 que universaliter ab omnibus politicis, & juris publici  
 Scriptoribus improbata fuerit, hoc unicum prætermitti  
 non potest, etiamsi omnes sinistrae imputationes, quarum  
 tamen nulla veritate nititur, veræ essent, nunc tamen sal-  
 va pace nec moveri, nec Eminentiaë Suæ objici & probari,  
 aut in ullum ejus præjudicium allegari possent.

Et quamvis Clypeus pacis Neomagenfis, Suam Emi-  
 nentiam contra ejusmodi sinistrae insimulationes satis  
 tueatur, nec fama ejusdem ulteriore defensione indigeat,  
 nihilominus ut totus Orbis Evidentiam illatæ sibi contu-  
 meliaë expressam quidem tot simulationibus, sed non sup-  
 pressam innocentiam cognoscat, censuit Eminentia Sua,  
 non abs re fore, si propositionem ex una, & ejusdem refu-  
 tationem ex altera parte referat, ut ita contraria juxta se  
 posita magis elucescant, hâc tamen protestatione addita,  
 quod nec à restitutione, & Amnestiâ per pacem sibi data  
 recedere, nec quicquam Sacraë Cæsareæ Majestati imputa-  
 re, sed omnia in eos, qui sinistrae informationis Autores  
 sunt, unice dirigere intendat.

G

Pro-



PROPOSITIO REFUTATIO

Quæ à Sacræ Cæsareæ Majestatis Legato, Excellentissimo Domino Comite de Kaunitz, Illustrissimo & Reverendissimo Capitulo Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis 14. Julij 1688. prælecta fuit.

Lit. A.

Ad Lit. A.

Ingemuit Sacra Cæsarea Bohemiarum & Hungariarum Regia Majestas, dum tristem de obitu Serenissimi & Reverendissimi Principis ac Domini, D. Maximiliani Henrici Archiepiscopi Coloniensis, Sacri Romani Imperii Principis Electoris, per Italiam Archiepiscopi Cancellarij, & Sanctæ sedis Apostolicæ Legati nati, Episcopi ac Principis Hildesienensis & Leodiensis, Electi Episcopi Monasteriensis, Administratoris Berchtesgadenensis, utriusque Bavarie, superioris Palatinatus, Westphalie, Angarie & Bovillonij Ducis, Comitum Palatini Rheni, Landgravij Leuchtenbergensis, Burggravij Stromb. Marchionis Franchimont, Comitum Loffensis & Hornensis &c.

Laudandus est Sacræ Cæsareæ Majestatis dolor, de morte Reverendissimi Electoris conceptus, ac proæternitate debentur gratiæ, quas Eminentissimus Dominus Cardinalis, uti designatus à sua Serenitate in vivis Successoribus humillimâ submissione hicce rependit, gaudetque simul dolere ideò Majestatem suam de morte Electoris quam maximè, quod tam pium, prudentem ac solertem Regentem huic Diocesi & Imperio subtraxerit, si enim Laudem meretur gestum à Domino Electore Regimen non poterunt vituperium pati Eminentissimi Domini Cardinalis Actiones & consilia, à quorum directione ut Continuo Eminentie sue at

Nun



57.  
Nuntium percepit, auxit  
vero dolorem, tum ipsa Con-  
sanguinitas, tum defuncti  
Principis pietas, prudentia  
& Laudabiliter gestum Re-  
gimen, cujus defectus non  
exiguam huic Diœcesi & Ro-  
mano Imperio Cladem & ja-  
sturam intulit, aded ut jam  
totius Christianitatis maxi-  
me interlit, talem iterum Archi-Episcopum & Electorem  
eligi, qui prioris vestigiis insistat, & simili modo incolumi-  
tati Ecclesiæ, & Imperij prospiciat, libertatem quoque Na-  
tionis Germaniæ strenuè defendat, & imminetia quæcun-  
que pericula ab hoc Archi-Episcopatu, in finibus Imperij  
sito, prudenter avertat.

*Lit. B.*

Recordari sine dubio Do-  
minos Capitulares, quid  
Legatus antè hac, cum de  
negotio Coadjutoriæ agere-  
tur, iisdem ob oculos posue-  
rit, qua ratione summus Pon-  
tifex eosdem dehortatus sit,  
Et quæ Mandata ab Audito-  
re Camerae publicis valvis  
affixa fuerint, quibus utique  
deferendum erat, quod ve-  
rò Paternæ, & Sanctitatis, &  
Majestatis suæ admonitio-  
nes spretæ tum temporis  
fuerint, suo jam loco relin-  
qui; Nunc verò vacante Ar-

tribui voluit Regimen Electro-  
re dependit nec fecerit quic-  
quam Eminentia sua, nisi  
sciente, volente, & appro-  
bante Serenissimo Electore,  
adeoque ut si quid Regimini  
Electoris posset objici, id E-  
lectori potius, quam Cardi-  
nali foret imputandum.

*Ad Litt. B.*

Agitur jam de Electione  
aut postulatione Princi-  
pis Electoris, non verò de  
Coadjutoris deputatione,  
Ideoque frustra huc revo-  
cantur præterita, suo etiam  
loco relinquitur, quouscun-  
que Advocatiæ munus, vel  
authoritas in Ecclesiis Me-  
tropolitanis & Cathedrali-  
bus se extendat, nec ullum  
est dubium quin D. D. Capi-  
tulares, juramenti sui reli-  
gione ducendi, eoque vota  
sua & cogitationes directuri  
sint, ut talis eligatur Archi-  
chi-



ehi Episcopali sede, Cæsaream Majestatem sui Muneris esse, & Advocatiæ sibi in Ecclesias Germaniæ competentibus incumbere, duxisse Capitulo Metropolitano breviter exponi, quod Archiepiscopatus huic Electoralis dignitas ennexa sit, quam conservare, nec ullo discrimini objicere oporteat.

*Lit. C.*

**N**otum esse quod D. Cardinalis de Fürstenberg, natione quidem Germanus, Coronæ tamen Gallicæ quasi mancipatus, & serviliter subiectus, ejusdem Minister, & ibidem naturalisatus sit, in diversis quoque negotiis contra Imperium egerit. Regi Christianissimo fidem & Homagium præstitit, hanc Diocesim theatrum belli fecerit, Argentoratum ab Imperio avulserit, fortalium seu Citadellam Leodiensem exteræ potestati subjecerit.

naturalisatio nullum injicit subjectionis vinculum, sed in eo jure consistit, quod tribuat jus indigenatus, & Privilegium & Capacitatem, officia & beneficia possidendi, bona sua per dispositionem ultimæ voluntatis in alios transmittendi.

Episcopus, ac Princeps Elector, qui huic Diocesi, Imperio & Christianitati, de statu paccato ac tranquillo, omnicurâ provideat, nec patiat, ut ulla fiat Electoralis præ Eminentia injuria.

*Ad Lit. C.*

**U**ti certum est quod Dominus Cardinalis ex Libera, perantiqua, & Illustrissima Comitum de Fürstenberg familia, variis Principibus sanguine juncta, prognatus sit, ita ab omni veritate aberrat quod Coronæ Gallicæ mancipatus quodammodo vinculo subiectus sit cujus dicti error ex sequentibus apparet. Primò nulli huc usque Eminentia sua Jusjurandum præstitit, nisi Sanctitati suæ & Ecclesiis, quarum à quinquaginta ac pluribus Annis commemorum est. Secundo



tendi, & in aliorum hæreditatibus succedendi; & si omnes  
 ij Coronæ Gallicæ serviliter subditi essent, qui jus natura-  
 litatis ibidem consecuti sunt, tunc Serenissimus quoque  
 Minister Ordinis Teutonici, Princeps Ludovicus Antonius  
 Neoburgensis, eadem servitute obstrictus esset, utpotè qui  
 jus naturalitatis in Gallia obtinet. Tertio fides & homa-  
 gium, nihil nisi jus vasallaticum & Clientelare, nullam verò  
 subjectionem personalem inferunt, alias Rex Catholicus,  
 qui fidem & homagium Regi Christianissimo quondam præ-  
 stitit, & adhuc ob terram Charolois præstat, Galliæ quo-  
 que foret subditus & servus. Et quis numerare poterit  
 Exempla Principum, Comitum, Capitulorum Metropolita-  
 norum & Cathedralium, quæ vel Galliæ vel Hispaniæ, vel  
 Confederatis Belgij Provinciis, vel aliis potentiis exteris fi-  
 de & homagio obstringuntur, Et quis est qui dicere audeat,  
 illos propterea dignitate suâ destitutos, aut altiori Culmi-  
 ne vel præEminentia Electorali indignos esse? Quarto si  
 hæc omnia vera essent, quæ absque ullo fundamento ob-  
 jiciuntur, nulli tamen amplius impedimento forent, quia  
 Rex Christianissimus D. Cardinalem ab omni obligatione,  
 quâ suæ Majestati devinctus esse poterat, omnimodo exe-  
 mit, atque absolvit, & luculento hoc testimonio (*Lit.B.*) de-  
 monstravit, Eminentiam suam nec publicè nec privatim  
 sibi obstrictam esse, nimium quoque honoris eidem tribui-  
 tur, dum Minister Gallicus fuisse perhibetur: Nec satis est  
 dicere, quod contra Imperium in causis quibusdam egerit,  
 nominentur causæ illæ, & mox demonstrabitur, insimula-  
 tionis hujus falsitas: Quinto quod Eminentia sua in hac  
 Diœcesi Theatrum belli adornaverit, crassus error est, qui  
 clarè posset ob oculos poni, nisi veritas odium pareret, &  
 Amnesia talia ad incudem revocari prohiberet. Quæstia  
 fuit justo jure recuperatio ablatorum, in sequelam senten-  
 tiæ ab Imperio dictæ, quod verò alij detentoribus iniquis  
 adstiterint, & bellum in viscera imperij hujus Diœcesis tra-  
 xerint.



erint, non est suæ Eminentia, sed iis attribuendum, qui publici boni causam rei privatae commodis postposuerunt, sed de his plura dicere pax vetat, nec refricatum fuisset vulnus illud, nisi acerba Comitum Imputatio Cardinalem invitum eo adegisset. Sextò Ast dira est calumnia, vix homini Cordato toleranda, quod Eminentissimus Cardinalis Argentoratum ab Imperio avulserit, atque arcem Leodien- sem exteræ potentia tradiderit, quam non relinqueret in- ultam, si malitiosus delator notus esset, qui ad eam deve- nit proterviam, ut Sacram Cæsaream Majestatem calum- niis tam Apertis circumvenire non erubuerit. Quis est qui nesciat, quod Leodium eo tempore in Gallorum manus in- ciderit, quo Cardinalis jam dudum in Custodia Viennensi de- tinebatur? quomodo Ergo indistans agere poterat, cui omnis agendi potestas, & eorum quæ agebantur noticia ad- emptæ erat? quod Dominus Cardinalis Leodium recupera- verit, quod arcem dirutam reparaverit, quod limites Impe- rij pro posteris adversus omnes hostium incursus munive- rit, hæc omnia & vera & nota sunt, sed tacentur, quia in gloriam Cardinalis vergunt, quæ verò in vituperium ejus tendunt, finguntur, & contra fidem publicam publicè pro- veris venditantur.

De Argentina ab Imperio avulsa par est Calumnia, quæ probari facile posset, nisi notoria esset, abest tantum id Domini Cardinalis machinationibus deberi, ut nec sci- verit solum, an & quomodo factum sit.

*Lit. D.*

**N**unc quoque illum Diœ- cesin hanc novo pericu- lo exponere, *fortalitia suspe- ctis presidis* & belli officiali- bus confidere. Bonnam cujus nescitur ære munire, adeo-

*Ad Lit. D.*

**I**n quo consistat periculum cui D. Cardinalis hanc Ar- chi-Diœcesin exponit, nemo potest Capere, certum est, nihil ei tam esse cordi, quam ut Diœcesis hæc, & totus que



55.  
que Archi-Episcopatum præ-  
dam Victoris ferius aut citius  
futurum &c.

Orbis Christianus, perpetuâ  
pace ac tranquillitate gau-  
deat; quæ etiam causa de-  
functum Dominum Electro-  
rem movit, ut durante morbo suo, Litteras ad Conscriben-  
dum Militem ipse manu suâ signaverit, & pecuniam in eum  
usum expenderit; Nec ullus, aut officialis aut Miles est, qui  
non Decano & Capitulo fide, juramento firmata, devinctus  
sit, & si Electio facta fuerit, omniaque in statu paccato exi-  
stant, consulendum erit, quid novus Archi Episcopus, ad-  
hibito Capituli consilio desuper statuiturus sit. Ac quam-  
vis nemini rationem reddere teneamur, ex cujus ære Resi-  
dentia Bonnensis muniatur, uti nec alij ad Rhenum Electro-  
res ac Principes hac super re examini sistuntur; nihilomi-  
nùs ad stabiliendam Imperij, securitatem & cæptas esse, &  
adhuc perfici.

Mirum est cur hæc propugnaculi exstructio suspiciones  
creet, cum exteri majorem eas apprehendendi causam  
habeant; an non Laudandum potius, quàm perstringen-  
dum est tam bonum opus, quod Limites Imperij securos  
reddit, Diœcesim ab inopinis Incurfibus præservat, & tan-  
tum ei securitatis tribuit, ut non tam facilè præda viatoris,  
nec ante hac cujuslibet grassatoris spoliolum esse debeat.

*Lit. E.*

**N**on posse virum talem ad  
Collegium Electorale ad-  
mitti, nec esse dubium, quin  
parem hæc nova postulatio,  
si fiat, cum priore sit sortitu-  
ra effectum.

*Ad Lit. E.*

**P**erpensis Litteris Româ  
Ratisbonâ, & ex aliis au-  
lis advenientibus, major af-  
fulget spes admittendam ef-  
se postulationem, & vi ejus  
Sessionem in Electorali Col-  
legio concedendam, quam  
statuendum aliquid, quod Bullæ aureæ, quod fundamenta-  
libus Imperij, sanctionibus, & libero eligendi jure adverfe-  
tur;



56.  
tur; Nec potest de summa Sanctissimi providentiâ præsumi  
sanctitatem suam hoc in casu facturam esse, quod ex Ante-  
cessoribus ejus nemo fecit, de quo nullum, vel in jure, vel  
in historiis exemplum extat, imò alia planè apparet mens  
Sanctitatis suæ ex brevibus, & indultis, à paucò tempore  
Eminentia suæ Roma missis.

*Lit. F.*

**N**ullam igitur à Capitulo  
in Personam D. Cardina-  
lis faciendam esse reflexio-  
nem, nolle tamen Majesta-  
tem Cæsaream per hoc li-  
bertati suffragiorum quic-  
quam præjudicare, imò ean-  
dem potius tueri, ne hic pa-  
riter, uti & Argentinæ fa-  
ctum, prorsus adimatur.

*Lit. G.*

**C**onsiderandum esse, quod  
Dioccesibus Germaniæ  
temporalis jurisdictio cum  
Regalibus annexa sit, ideo-  
que non posse illis illimita-  
tam planè eligendi liberta-  
tem competere; Sed eam in  
tantum esse restrictam, ut non  
liceat ab interesse Imperii  
recedere.

*Ad Lit. F.*

**N**on benè conveniunt ex-  
clusio D. Cardinalis, & li-  
bera suffragiorum conserva-  
tio, quæ utinam non mino-  
rem hic quam Argentorati  
pateretur diminutionem, ubi  
nemo exclusus, imò nec unus  
præ altero, pro ut vivi & præ-  
sentes hic Capitulares testa-  
buntur, specialiter Com-  
mendatus fuit,

*Ad Lit. G.*

**H**ic aures erigant & ocu-  
los aperiant, quotquot  
sunt Metropolitana vel Ca-  
thedralia in Romano-Germa-  
nico Imperio Capitula, &  
considerent maturè, qualis  
hic anguis in herba lateat,  
Lethalem suffragiorum li-  
bertati morsum in principiis  
tempestivè obstetur inflictu-  
rus.

*Lit. H.*



**A**dhortari itaque Majestatem Cæsaream, Capitulares omnes & singulos, ut juramentum, quo obstringuntur Imperio, mature pendant, omnia partium studia, omnesque respectus privatos, consanguinitatis & utilitatis propriæ seponent, & cum tot in suo gremio viros sede Archi-Episcopali dignos numerent, ex iis tamen eligant, & quidem per vota secreta & scripta, qui de obtinenda confirmatione certus sit, & talem administrationem gesturus, ut Diocesis novo æris alieni onere non gravetur, sed eo, quo jam onerata est, sublevetur.

**H**oc quoque unice exoptat & desiderat Eminentissimus Dominus Cardinalis, nec quicquam magis in votis habet, quam ut Domini Capitulares nullis indulgeant affectibus, sed seposito omnium partium studio, incolumitatem Ecclesiæ sibi pro scopo præfigant, & in talem colliment virum, qui eis notus est, & de cujus experientia, capacitate & prudentiâ, majorem de felici regimine spem poterunt concipere, quam de ignotis sibi subjectis fiduciam habere; Si in hunc finem Domini Capitulares respiciant, nemo reformidabit præscripto in C. *Quia scriptum* &c. modo in omnibus Electionibus Archi-Episcopalibus usitato insistere, in quem casum non est, quod de impetrandâ confirmatione dubitent, Imo talis Archi-Episcopus Electus aut postulatus, ut satisfaciât conscientiæ suæ, ut consulat honori, ut Capituli & subditorum amorem conservet, studebit magis æri alieno solvendo, quam augendo, indefesso quoque studio allaborabit, ut in Diocesi hac per observantiam exactæ disciplinæ Ecclesiasticæ Dei gloria amplificetur. Xenodochia aliæque fundationes piæ, juxta fundatorum intentionem impendantur, justitia ritè administretur, jurisdictio tam in temporalibus quam spiritualibus conservetur, avulsa per viam juris recuperentur, ultiores dimem-

H

tiones



tionem impediatur, imperfectum & ruinosum summi Templi ædificium ad meliorem & perfectum statum redigatur, Residentia Bonnenfis, aliæque Arces omni apparatu mobilium à seculo, & quod excedit Coacervatio, penitus nudatæ reuellantur, subditi oneribus publicis omnido subleventur, Commercia & Telonia reflorescant, redditus Capituli augeantur, ejus membra, ut Consiliarij intimi, in causis arduis consulantur, liberè iis aditus pateat, præcedentia debita remaneat, par omnibus & singulis affectio exhibeatur, omnis pompa & sumptus superflui ab aulâ arceantur, officia juxta merita, & non secundum favores conferantur, indigenæ juxta capacitatem præ aliis exteris prærogativam habeant, cum vicinis sincera colatur pax & amicitia, statibus privilegia sua & laudabiles consuetudines illibatæ conserventur, onera ruri sine consensu debito imposita ferè prohibeantur, visitationes annuæ instituantur, concussionem omnes severe puniantur, & cuilibet impartialis justitia administretur.

*Lit. I.*

**S**in secus nesciri quid Cæsar de Regalibus & Jurisdictione temporali sit statuturus, & quam sit rationem exacturus ab iis, quibus culpa contrarij eventus incumbit. De cætero Majestas sua protectionem & gratiam suam Erga hanc Diœcesin conservabit, Dominusque Legatus servitia sua Dominis Capitularibus parata offert, & hanc causam pro ut exigit

*Ad Lit. I.*

**S**i Domini Capitulares ea sibi quæ dicta sunt, ob oculos ponunt, nec se impressionibus sinistris à vero scopo patiuntur diverti, non est dubitandum de Collatione Regalium. Tandem ulteriorem sibi Dominus Cardinalis pro defensione honoris sui si opus fuerit deductionem reservat, & de illatis sibi contumeliis, ac comminationibus libertati suffragiorum con-

Del



Dei gloria, Cæsaris obse-<sup>59.</sup>trariis, & quæ sita hoc modo  
quum, Patriæ salus, & secu-  
ritas enixè commendat. sui exclusione solemniter  
protestatur.



Adjunctum sub Lit. A.

## EXTRACTUS

De puncto Amnestiæ Generalis.

*Articulus Secundus.*

Sit utrimque perpetua oblivio, & amnestia omnium eorum, quæ ab initio horum motuum, quocunque loco, modo,ve ab una vel altera parte, ultrò citròque hostiliter facta sunt, ita ut nec eorum, nec unius alterius rei causa, vel prætextu, alter alteri posthac quicquam hostilitatis, aut inimiciæ, molestiæ vel impedimenti, quo ad personas, statum, bona vel securitatem, per se vel alios, clam vel palam, directè, vel indirectè specie juris vel viâ facti, in imperio aut uspiam extra illud, non obstantibus ullis prioribus pactis, in contrarium facientibus, inferat, vel inferri faciat, aut patiat, sed omnes & singulæ, hinc indè tam ante bellum, quàm in bello, verbis, scriptis, aut factis, illatæ injuriæ, violentiæ, hostilitates, damna expensa, absque omni Personarum rerumvè respectu, ità penitus abolitæ sint, ut quidquid eo nomine alter adversus alterum prætendere possit, perpetuâ sit oblivione sepultum.



*Articulus Vigesimo Tertius.*

Sacra Cæsarea Majestas consentit, ut Princeps Franciscus Egon Episcopus Argentinensis, ejusque Frater Princeps Wilhelmus Egon in Fürstenberg, cum eorum ex Fratre Nepote Principe Antonio Egone in Fürstenberg, eorumque Officialibus & Ministris, plenè restituantur in eum statum, famam, dignitates, jura, vota, sessiones, beneficia, & officia, bona feudalia, subfeudalia, & allodialia, una cum fructibus sequestratis, & in omnia generaliter bona, quibus antè destitutionem, occasione hujus belli factam, gavisii sunt, aut jure gaudere potuerunt, non obstantibus, & cassatis quibuscunque in contrarium actis, pactis & decretis, prædictus etiam Princeps Wilhelmus Egon statim, pace utrimque ratihabitâ, in integram libertatem restituetur.

Quidquid autem à Capitulo Argentinensi, aliisque, qui beneficia & bona ad prædictos Episcopum & Principes spectantia administrarunt, & ab iisdem nominatis Officialibus, contra illos dictum, factum aut scriptum est, perpetuæ oblivioni mandetur, nec liceat eos desuper ulla ratione compellare, aut iis molestiam quocunque sub prætextu asserre.

Copia



## Copia declarationis Regiæ

Qua

Eminentissimus Dominus Cardinalis

Landgravius.

De

## FÜRSTENBERG.

Ab omni subjectionis Vinculo, quo litteræ Naturalitatis in Gallia obtentæ eum obstringere possent, liber & immunis esse declaratur sub

Lit. B.

*Ludovicus Dei Gratia Francia & Navarra Rex  
omnibus hæc litteras visuris salutem.*

Charissimus & dilectus noster Cognatus Cardinalis Landgravius de Fürstenberg, repræsentavit nobis, quod, cum antè hac Literas nostras Naturalitatis, ei jus & potestatem beneficia in regno nostro possedendi, tribuentes obtinuerit, justam habet apprehendendi causam, ne alii hoc prætextu uti velint, ad ipsum illis dignitatibus excludendum, ad quas legitimè potest aspirare, nos enixè rogans, ut eum ab omni subjectione, aut vinculo, personali, quo nobis obstrictus esse posset, eximere, & liberum declarare non gravemur, & cum intentio nostra, dum ei dictas Naturalitatis literas concessimus, alia non fuerit, quam ut clara singularis existimationis, quam de ejus meritis concepimus, judicia demonstrarem; Hinc ex hisce, aliisque causis nos moventibus, paravimus, & præsentibus manu nostrâ signatis declaramus, Nos consentire, ut dictus noster Cognatus Cardinalis Landgravius de Fürstenberg, juramentum, ad quod eum novæ dignitates possent obstringere,

H 3

gere,



gere, præstet, eum, in quantum opus est, aut esse possit, ab omni subjectione, aut alia obligatione personali, quam respectu Nostri habere possit, omnimodè absolventes; In cuius testimonium, Sigillum nostrum præsentibus hisce apponi curavimus. Datum Versalesij 12. Julij Anno gratiæ 1688. & Regni nostri quadragesimo sexto, Signatum: Ludovicus, & in replicato, ex Mandato Regis; Colbert. &c.

Prætensum Mandatum Procurationis Serenissimi Principis Hermannii Marchionis Badensis.

*Num. 2.* Quandoquidem ego infra scriptus Marchio Badensis, Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis Canonici Capitularis, ob justum impedimentum instanti Electioni Archiepiscopali Coloniensi personaliter interesse nequeo; hinc in meum verum, certum ac indubitatum Procuratorem, omni meliori modo, quo id de jure melius ac validius fieri potest, hisce facio & constituo, Illustrissimum Hugonem Franciscum Comitem de Königsek, Concapitularem meum Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis, per obitum Serenissimi Archiepiscopi Maximiliani Henrici, nunc vacantis, ad meo nomine die 19. Julij pro Electione præfixo in Capitulo dictæ Ecclesiæ Comparendum, & pro ut moris & styli votum meo nomine dandum, in favorem Serenissimi Principis Josephi Clementis, utriusque Baviaræ Ducis, aut alterius Personæ eligibilis sibi bene visæ, eumque Serenissimum Ducem Baviaræ Josephum Clementem, vel aliam personam idoneam & Eligibilem, nomine meo in Archiepiscopum dictæ Ecclesiæ eligendum, aliaque omnia faciendum, gerendum & exequendum in præfata Electionis negotio, & circa illud, quæ Ego ipse, si præsens forem, quomodo libet agere,

*Num. 3.*  
Nullum  
hic esse  
manda-  
tum ju-  
randi su-  
per legi-  
timo im-  
pedimen-  
to.



agere, facere & exequi possem, cavens de rato & promittens indemnitate, in quorum fidem præsentem manu meâ subscripsi & Sigillo Communi, Ratisbonæ die 10. Mensis Julij Anni millesimi, sexcentissimi, octuagesimi, octavi.

(L. S.)

Hermannus Marchio Badensis.

\*\*\*\*\*  
**Instrumentum Postulationis,**

**I**n nomine Sanctissimæ & individuæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus Sancti Amen. *Num. 3.* Universis & singulis præsens documentum visuris, Lecturis, seu legi auditoris, pateat evidenter, & sit notum; quod postquam piissimæ memoriæ quondam Serenissimus & Reverendissimus Princeps ac Dominus, Dominus Maximilianus Henricus, Dei gratiâ Archi-Episcopus Coloniensis, Sacri Romani Imperij per Italiam Archi-Cancellarius, & Princeps Elector, sanctæque sedis Apostolicæ Legatus natus, Episcopus Hildesienfis, & Leodiensis, Administrator Bergiesgadenfis, Superioris & inferioris Bavarix, itemque Superioris Palatinatus, VVestphaliæ, Angariæ & Bullionis Dux, Comes Palatinus Rheni, Landgravius in Leuchtenberg, Burggravius in Stromberg, Marchio Franchimontensis, Comes Loffensis & Hornensis, ac Dominus in Borckloe &c. Die tertiâ Junij Currentis anni, vitam suam mortalem cum Cœlesti permutavit; Interim verò postulatîo Reverendissimi & Eminentissimi Domini Domini Guilielmi Egonis, ex Landgraviis de Fürstenberg, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Episcopi Argentinenfis &c. Sub beneplacito Sanctissimi altè memorato Domino Maximiliano Henrico &c. In Goadjutorem Archi-



chi-Episcopatus Coloniensis, alias facta, in quantum eo usque sciebatur, non erat sortita effectum, idcirco ad occurrendum periculis, quæ viduatæ Ecclesiis, ex diuturnâ illarum vacaturâ, plerumque accidere solent, Capitulum Metropolitanum Coloniense, tali dignissimo ac Laudatissimo Archi-Præsule orbatum, die 11. ejusdem Mensis ad id specialiter congregatum, pro Neo Archi-Episcopo Electore in ejus locum eligendo, sive postulando, constituerit decimam nonam proximè subsequenti Mensis Julij, atque ad Electionem sive postulationem hujusmodi celebrandam mandavit citari omnes & singulos ad id communiter vel divisim interesse habere putantes. Die itaque statuto adveniente, post missam de Spiritu Sancto &c. in æde Metropolitanâ solemniter decantatam, circa horam decimam matutinam, in domo Capitulari ejusdem Ecclesiæ personaliter comparuerint, Reverendissimi & Eminentissimi, itemque Serenissimi, & Celsissimi, ac Illustrissimi, nec non Perillustres, Prænobiles, Eximius, Consultissimi & Amplissimi respectivè Domini. 1. Dominus Guilielmus Egon Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & pro tempore Decanus. 2. D. Philippus Everhardus Princeps, sub Decanus &c. 3. D. Franciscus Gobertus Comes de Aspermont & Reckum, Chori Episcopus. 4. D. Franciscus Adolphus Willhelmus, Comes in Oist-Friesland & Rittberg &c. Scholasticus. 5. D. Ferdinandus Rudolphus, Comes de Fürstenberg &c. Senior Diaconus. 6. D. Alexander Comes de Salm & Reifferscheit, Junior Diaconus. 7. D. Franciscus Bernardus Princeps de Nassovia, Præpositus quæ Thesaurarius. 8. D. Antonius Ludovicus Princeps Neoburgicus, Ordinis Tentonicæ Magni Magister. 9. D. Carolus Gobertus Comes de Aspremont & Reckeim. 10. D. Ernestus Dominicus Comes de Manderscheit Falckenstein. 11. D. Hugo Franciscus Comes de Königseck. 12. D. Germanicus Fridericus Comes ab Hohenzölleren. 13. D. Maximilianus Philippus Comes de Manderscheit.



derscheit. 14. D. Franciscus Ludovicus è Ducibus Neoburgicis, Episcopus Uratislaviensis. 15. D. Philippus Henricus Princeps de Croye. 16. D. Henricus Mehring, Senior Presbyter. 17. D. Thomas Quantel, Curiaë Archi-Episcopalis Coloniensis pro tempore Officialis. 18. D. Christophorus Fridericus Geyer. 19. D. Joannes Petrus de Quentel. 20. D. Joannes Fridericus Anethan., Episcopus Hierapolitanus. 21. Antonius VVormbs. 22. D. Joannes Godefridus Bequerer. 23. D. Adamus Dahmen. Omnes & singuli Canonici Capitulum Ecclesie Metropolitanæ Coloniensis pro tempore repræsentantes. Et postquam Eminentissimus D. Decanus, ut Præses hujus Capituli, in præsentia Prænobilis & Consultissimi D. Gerhardi Rensing, J. V. Doctoris, D. Secretarij pro tempore Ecclesie Metropolitanæ Coloniensis, nec non mei Godscalci VVasserfall, & mei Bernardi Vofs, Notariorum, itemque Venerabilium Matthiæ Bullingen, & Adami VVillick, Vicariorum dictæ Ecclesie, uti Testium ad Infra scripta omnia & singula diligenter ac sedulo observanda, specialiter vocatorum, proposuisset, illis luculenter constare hodiernam diem in negotio præmentionatæ Electionis seu Postulationis novi Archi-Episcopi determinatam & præfixam esse, atque ad eum finem necessarias citationes tam in Valvis supratactæ Ecclesie, quàm in Personas Dominorum Capitularium, circa idem tempus hic Coloniae præsentium, & ad postam Cæsaream respectivè intimatas, ideoque nunc tractandum fore, qualiter in præsentis Electione sive postulatione, juxta jura Canonica veniat procedendum, Capituli Syndicum interim monendo, ut de prætactæ Citationis intimatione debitam fidem faceret. Ex tunc Magister Andreas VVasserfall in qualitate Procuratoris reproduxit eandem citationem, juxta adscriptam relationem adstantis Notarij Vofs, tam in Valvis majoris Ecclesie Coloniensis, quàm etiam in Personas & ad ædes inibi nominatorum Dominorum Capitularium hic Coloniae



Ionia tunc præsentium intimatum : Et quia ante Nominatus Dominus Rensing similiter retulit, quod ipse in qualitate Secretarij hujus Ecclesiæ prætaetæ, Citationis Copias immediatè sequenti occasione ad Serenissimum & Reverendissimum Dominum Hermannum Marchionem Badensem, aliosque in Instrumento relationis memorati Notarii Voss. ulterius nominatos, cum convenientibus litteris & inscriptione mediante Cæsareorum Veredariorum Magistro hic Coloniae tradi fecerit, ante nominatus Syndicus petiit absentes pro contumacibus, præsentibus pro obedientibus haberi, atque juxta effectum suprætæ Citationis latius proceditur. Postquam igitur omnes & singuli præsentibus Capitulares, mediante Organo Eminentissimi Domini Præsidis fuerant interrogati, an aliquis illorum haberet mandatum? Illustrissimus Dominus Hugo Franciscus Comes de KönigsEck produxit quandam & complicatam & consignatam papyri Schedulam, in qua dicebat contineri specialem constitutionem Serenissimi & Reverendissimi Domini Hermannii Marchionis Badensis in se exhibentem directum, una cum intertione certæ Personæ in vim ejusdem in futurum Archi-Episcopum & Electorem Coloniensem eligendæ, contra quod mandatum licet primo fuerit obmotum, quod illud esset contra stylum & observantiam huc usque in Electionibus apud Ecclesiam Metropolitanam Coloniensem communiter servari solitam, et quo illud esset clausum, & proinde non sciretur, an in illo contineretur clausula, quod constitutus in constituentis animam, quo ad Eligendum posset seu deberet jurare; Secundò D. Constituens esset extra Provinciam, & proinde ad hunc Electionis sive postulationis actum, ipsum non fuisse opus citare. Tertiò notorium existeret, quod Dominus constituens medio tempore, quo fuit Canonicus Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis, aliquamdiu bellum & Castra secutus, ac proinde censeretur irregularis. Attamen facta

rela



relatione, quod dictus Marchio ad hunc actum juxta præ-  
 insertam relationem Secretarij specialiter fuerit citatus,  
 item quod benefacti D. Marchionis procura in aliquibus an-  
 tecedentibus Electionibus de facto sit admissa, ac prædicto  
 mandato aperto inter alia in eo fuit reperta hæc clausula:  
*Et generaliter omnia & singula faciendi, gerendi & exercendi,*  
*quæ ipse constituens præsens quomodolibet facere posset seu debe-*  
*ret. &c.* Sic illi, seu illis, quibus idipsum videbiter, quævis  
 competentes exceptiones, tam contra formam dicti man-  
 dati, quàm etiam Domini Constituentis Personam sunt re-  
 servatæ. Ipsum vero in iisdem litteris expressum votum,  
 sub priori protestatione & reservatione ad Scrutinium fuit  
 remissum: His pactis Eminentissimus D. Decanus reperto  
 omnes reliquos Dominos Capitulares esse præsentis, adeo-  
 que nullâ declaratione Contumaciæ quo ad absentes fore  
 opus, sic in qualitate Decani ac Præsidis Capituli, omnes ac  
 singulos excommunicatos, suspensos, interdictos, irregu-  
 lares, aut alio quovis modo inhabiles, si qui adessent, pub-  
 licè jussit exire Capitulo protestans, quod eorum vota nulli  
 deberent præstare suffragium, aut adferre nocumentum,  
 quodque pro non receptis & non datis haberi debeant. Su-  
 per quo admodum Reverendus & Amplissimus D. Joannes  
 Godefridus Becquerer Presbyter Canonicus tradidit Capi-  
 tulo Secretario certam quandam protestationem, per Seré-  
 nissimum Ducem Franciscum Ludovicum Comitem Pala-  
 tinum &c. Hugonem Franciscum Comitem de Königseck,  
 & Philippum Henricum Ducem de Croye, ac manu suâ pro-  
 priâ subscriptam, volens eandem publicè prælegi, & simul  
 eidem juxta latius contenta, suo & suorum Dominorum  
 subscribentium nomine per omnia inhærens.

Quæ protestatio tamen etiam per Dominum Secreta-  
 rium Capituli prælecta fuit, & quia in ejusmodi protesta-  
 tione præter alia quædam de excommunicatione quorun-  
 dam Dominorum Capitularium præsentium, ac de modo  
 proce-



procedendi ad Scrutinium Secretum per Schedulas continerentur, sic protestatione hujusmodi prælectâ, Eminentissimus Dominus Cardinalis protestatus fuit de hujusmodi inusitatâ, informi & nimis præposterè injectâ protestatione, utpotè quod eadem nihil aliud saperet, quam quod præsens Electionis seu postulationis negotium vellet interrumpi, Capitulum turbari, & ipsi Domino Præsidi in suo officio præjudicari, sustinens, talia molientes, se ad votatum reddere incapaces, nam quoad primum punctum, dicebat, sibi in specie de nullo excommunicato seu declarato constare, si Dominus Canonicus Bequerer eundem sciret, posset apertè nominare, aliàs ipse Dominus Præses testante toto Capitulo, omnes excommunicatos, suspensos, irregulares & similes jusisset jam tum exire, declarando quod eorum vota nulli debeant præstare suffragium, vel adferre nocumentum. Quoad secundum punctum dicebat Eminentissimus Dominus Præses, se eundem remittere ad decisionem majoris Partis Capituli, cum desuper ad votationem Capitularium pervenisset, decisum est per majora, primò ejusmodi protestationem quidem apud Prothocolum permanere posse, quia verò pro nunc de nullo declarato, vel realiter excommunicato Capitulari hic præsentia constaret, ejusmodi protestationem eatenus non esse attendendam; Secundò cum novissimè in Electione seu postulatione novi Coadjutoris piè defuncti Archi-Episcopi Electoris Coloniensis, juxta textum *C. Quia propter &c.* per Secretum Scrutinium vocale processum fuerit, quod nunc iterum taliter procedendum sit, circa quam Electionem seu postulationem instituendam, Dominus Christophorus Fridericus Geyer existens in ordine sui voti proposuit, quod ipse aliique Canonici Presbyterales Metropolitanæ Coloniensis, ante hac senserint, & adhuc sentiant, quod ipsi acque ac Domini Canonici Illustres, in omnibus Electionibus seu postulationibus Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis



voto activo & passivo gaudere possint, adeoque ipsis etiam per hunc Electionis seu postulationis actum Jus suum præservari velint; Ad quod Eminentissimus Dominus Decanus quâ Præses Capituli respondit, se desuper quid juris prætere vellent, hoc ipsis ab antiquo competere debere, & non per novissimos actus & idcirco, si iidem hoc jus ab antiquo probare possint, quod sua Eminentia, etiam quâ Capituli Præses, hoc illis per hanc Electionem sive postulationem non intendat auferre, minùs in ullo præjudicare. Subsequenter invocatâ de novo Spiritus Sancti gratiâ, per submissam recitationem hymni, Veni Sancte Spiritus &c. cum versiculo & collectâ, de gremio Capitulari in Scrutatores præsentis Electionis sive postulationis deputati fuerunt, Reverendissimus & Illustrissimus Dominus Franciscus V Vilhelmus Adolphus Comes in Oistfriesland & Rittberg &c. Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis pro tempore Scholasticus, una cum Serenissimo Domino, Philippo Henrico Principe de Croye &c. & Admodum Reverendo Domino Henrico Mehring &c. hisque per sæpe fatum Dominum Præsidentem data est potestas, Sigillatim & in Secreto, primò sua, & post modum cunctorum Dominorum Capitularium vota, diligenter exquirendi, exquisita in Scriptis redigendi, taliterque in Scriptis redacta conferendi, & collata publicandi, cæteraque omnia & singula faciendi, quæ præsentis Electionis sive postulationis qualitas quomodolibet exigeret aut requireret, quo prævio, sicut præfertur, Electi Domini Scrutatores ad manus antè nominati Domini Præsidentis jurarunt, quod omnia & singula præmissa sine dolo & fraude velint facere. Hocque juramento præstito iidem qui supra Domini Scrutatores associatis sibi ante nominatis, Secretario, Notariis & Testibus, processerunt ad conclave, inter initio mentionatam domum Capitularem, ac Sacriam Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis mediam, Cæteris Dominis in loco Capitulari manentibus, ibidemque in



præsentia eorundem Secretarij, Notariorum, & Testium  
 Dominus Philippus Henricus Princeps de Croye, & Domi-  
 nus Henricus Mehring &c. sæpius memoratum Domi-  
 num Franciscum Adolphum VVilhelmum Comitem de Rit-  
 berg, & subsequenter eadem Illustrissima sua Gratia, cum  
 fato Domino Mehring ante nominatum Principem de Croye  
 atque ex post modo dicti Domini Comes & Princeps eun-  
 dem dominum Mehring, in virtute sive obedientiâ & sub  
 animæ cuiusque periculo admonuerunt, & adjurarunt, ut  
 secundum Deum, & suam Conscientiam, in præsentî nego-  
 tio, illum, in S. Ecclesiæ Colonienfis Archi-Episcopum, &  
 S. Romani Imperij Electorem, velit eligere seu postulare,  
 quem quilibet Ipsorum dictæ Ecclesiæ magis utilem, ac  
 idoneum reputaverit, hac adjuratione factâ, secundus &  
 tertius ante nominatorum Dominorum Scrutatorum, in si-  
 mili norma Scrutati sunt primum. & deindè primus & ter-  
 tius, secundus, ac demum primus & secundus, tertium,  
 quorum votis successivè per sæpius mentionatos Secreta-  
 rium & Notarios fideliter annotatis, subsequenter Domini  
 Decanus, sub Decanus, Chori Episcopus, Senior & Junior  
 Diaconi, Thesaurarius ac Cæteri Capitulares, juxta ordi-  
 nem suarum dignitatum, & respectivè suæ primordialis pos-  
 sessionis, in quo possessionem suarum præbendarum ab  
 initio acceperunt, è domo Capitulari fuerunt vocati, atque  
 illi omnes & singuli etiam sic, ut præfertur medio simili  
 juramento moniti & adjurati, secundum Deum & con-  
 scientias suas vivâ voce in præsentî Electionis sive postula-  
 tionis negocio vota sua expresserunt. In quo quidem Scru-  
 tinio hoc accidit, quod postquam supra nominati Domini  
 Scrutatores, circa inibi constitutam Mensam ex ordine con-  
 sederunt, illis subsequenter fuerit insinuatam, ut juramentum  
 Taciturnitatis circa instantem Electionem seu postula-  
 tionem ab illis exigerent, qui ad hoc tenerentur, pro ut idem  
 ab illis Juramentum etiam ex post per sæpius mentionatos  
 testes



testes realiter est præstitum. Insuper etiam in eodem scrutinio ante nominatus Dominus Comes de Königseck monitus, se non habere speciale mandatum jurandi in animam Domini mandantis, Sereniss. Marchionis Badensis, respondit votum continere mandatum generale, unde Juravit, & votum dedit. Cum illa omnia & singula modo præmissa quoque fuissent in scriptis redacta, Domini Scrutatores cum Secretario, Notariis & Testibus superius nominatis ad Domum Capitularem ingressi, ibidem præsentibus Dominis Capitularibus, mediante organo Reverendissimi & Illustrissimi Domini Francisci Adolphi VVilhelmi Comitis de Rittberg &c. publicationem fecerunt, in communi disertè referendo, & explicando, quod illorum, qui in hoc Electionis sive postulationis negotio suffragia tulerunt, essent viginti quatuor, & ut certò sciretur, horum nullum in eo fuissè omissum, singulorum votantium nomina ex prothocollo scrutiniis sunt prælecta; publicatione hac facta, Eminentissimus Dominus Præses, suo & totius Capituli nomine, sæpè fatis Dominis Scrutatoribus dedit potestatem specificata vota collationandi.

Quà facultate obtentâ Dd. Scrutatores, cum iisdem Secretario, Notariis & Testibus ad locum scrutiniis reversi, vota sic, ut præfertur, prolata, de numero ad numerum, Zelo ad Zelum, & merito ad meritum, invicem collationarunt, atque hac collatione factâ Capitulum reingressi ibidem persistentibus retulerunt, quod ex præspecificatis viginti quatuor votis, tredecim in unam personam, novem in aliam, ac demum reliqua duo vota, utpotè in unamquamque Personam unum votum sint redacta, rogando & requirendo Dominos Capitulares, utrum placeat, ut minor vota accedant majoribus; super quo puncto postquam aliquamdiu disceptatum esset, tandem per majora conclusum fuit, quod ita; protestantibus & contradicentibus firmiter iis Dominis Capitularibus qui in scrutinio

*In personam*



42.  
*sonam Eligendam vota sua direxerant.* Volentes ante omnia sibi exponi, quot vota pro Persona postulandâ, & quot pro eligendâ, vel etiam aliis data essent, acceptoque à Dominis Scrutatoribus responso, quod ille, qui haberet tredecim vota, esset postulandus, qui verò haberet novem vota, prout, quorum uterque haberet unum votum, essent eligendi. Cumque ulterius Scrutatores quæsiuissent, an placeret, ille in quem majora postulantium vota directæ sunt, postulationem solemniter fieri, eandemque publicari & perque majora id etiam placuisset, dominus Joannes Godefridus Becquerer, Canonicus, nomine suo & sibi adhærentium iterato eidem per expressum contradixit, asserens primò, quod in hac conjunctura soli Electioni, non verò postulationi sit locus. Secundò quod in hac postulatione adsit impedimentum, adeoque si postulatio sit publicanda, publicanda etiam Electio, vel simpliciter totum scrutinium, præter multa alia, quæ omnia ita citò assequi non potuerunt, protestando de his & similibus aliis gravaminibus sibi, suis associatis, & ipsi domino Eligendo, per hoc illatis, & quomodolibet inferendis, ac recursum desuper ad Sanctissimo habendo. Econtrà verò Eminentissimus dominus Cardinalis, præmissis per dominum Canonicum Becquerer & alios ita propositis, & obmotis, per expressum contradixit, sustinens quod per Electionem, uti à minori parte Capituli factam, nulli ullum jus acquiri posset, prout Illustrissimus D. Comes de Rittberg unus Dominorum Scrutatorum protestationibus & contradictionibus per D. Canonicum Becquerer nomine dominorum eligentium obmotis, firmiter contradicendo assererat, quod juxta *Cap. quia propter Esc.* non possit de duabus personis publicationem facere, sed tantum de unâ, & quidem de illa, in quam majora vota sint directæ, ideoque votis omnium Dominorum Capitularium desuper denuò exquisitis, postquam per majora iterum decisum, quod sic, benè memoratus D. Comes de Ritt-



Rittberg &c. primus scrutatorum tam suo, quam cætero-  
rum suorum Dominorum Conscrutatorum nomine, in lo-  
cum Gloriosæ memoriæ quondam Serenissimi & Reveren-  
dissimi Domini Maximiliani Henrici Archi-Episcopi & Prin-  
cipis Electoris Coloniensis, utriusque Bavariæ Ducis &c.  
noviter piissimè defuncti, postulavit in novum ArchiEpi-  
scopum & Electorem Coloniensem, Eminentissimum & Re-  
verendissimum Dominum Guilielmum Egonem, Landgra-  
vium de Fürstenberg, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardina-  
lem, Episcopum Argentinensem, hujus Metropolitanæ  
Coloniensæ Ecclesiæ Decanum, juxta Schedulam, quam  
toti Capitulo prælegit & publicavit, in modum sequentem  
videlicet.

In Nomine Patris & Filii & Spiritus  
Sancti Amen.

Cum per obitum Serenissimi & Reverendissimi Domini  
Maximiliani Henrici Bavariæ Ducis &c. ArchiEpiscopi  
& Electoris Coloniensis Domini nostri Clementissimi felicif-  
simæ memoriæ, Ecclesiam Coloniensem non ità pridem va-  
care contigerit, antequam postulatio Coadjutoris cum fu-  
tura successione, à Sanctissimo Domino nostro Papa admiffa  
fuerit, ideoque ad obviandum periculis & dispendiis. quæ  
in casum diuturnæ vacationis, vacanti & viduatæ Ecclesiæ  
Coloniensi imminere possent, ad Electionem vel postulatio-  
nem novi ArchiEpiscopi procedendum, & citationibus o-  
portunis, in eum finem relaxatis, debitè intimatis, & repro-  
ductis, hodiernâ die per formam scrutinii in Concilio gene-  
rali & cap. *Quia propter de Elect.* præscriptam, vacanti Ec-  
clesiæ providendum esse placuerit, factoque juxta ejusdem  
generalis Concilii formam, Scrutinio, ac eo publicato, &  
collatione habitâ diligenti, repertum sit, majorem Capituli  
partem, vota sua in Eminentissimum Dominum Cardinalem  
K Land-



Landgraviū de Fürstenberg &c. direxisse, eundemque postulasse: Hinc ego Franciscus Adolphus Wilhelmus, Comes Orientalis Frisiæ, & Rittberg &c. Metropolitanæ hujus Ecclesiæ Coloniensis Capitularis & Scholasticus, unus Conscrutatorum, vice meâ, ac nomine & vice omnium illorum, qui vota sua in memoratum Eminentissimum Dominum Cardinalem Landgraviū de Fürstenberg direxerunt, et potestate mihi ab illis tradita, & concessa, memoratum Eminentissimum Dominum Cardinalem, Decanum, & Canonicum Capitularem hujus Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis, ex legitimo matrimonio, & Illustri profapia procreatum, in sacris Ordinibus constitutum, moribus, scientiâ, vitæ honestate, ac longæva rerum Capitularium experientiâ præditum, in spiritualibus & temporalibus providum, & circumspectum, aliàsque ad regendam Ecclesiam Coloniensem singulariter idoneum, & habilem, in Archiepiscopum Ecclesiæ Coloniensis ac Principem Electorem postulo: Super quibus Domini Capitulares; *Qui in Personam eligendam novem vota direxerant.* Contrà hujusmodi postulationem iterum iterumque protestati fuerunt, ac petierunt similiter publicari electionem, vel saltem nominari personam, in cujus Electionem prætacta novem vota essent directa, secus vero ipse D. Becquerer publicè contestabatur, quod ipse hoc in vim schedulæ, quam manu tenebat, absque eo esset factururus: annuente tandem majore Capituli parte, ut id citra tamen Domini postulati præjudicium fieret, Illustrissimus D. Comes de Rittberg ad requisitionem domini Canonici Becquerer, retulit. Pro Domino Postulato Eminentissimo Domino Cardinale Decano adesse tredecim vota, pro Serenissimo Principe Josepho Clemente, et Ducibus Baviaræ &c. verò novem, ac pro Illustrissimo Domino Chori Episcopo Comite de Reckheim, unum, atque pro Serenissimo Principe Ludovico Antonio similiter unum, prout ipsum ita factum fuisse nobis Notariis ex ipsius Domini Comi-

Comi-



Comitis de Rittberg, & aliorum Dominorum scrutatorum proprio ore pariter constat; quo prævio, cum Eminentissimus Dominus Cardinalis Decanus, modo præmisso, in Archiepiscopum & Electorem Coloniensem postulatus, pro consensu de se factæ postulationi præstando, requisitus esset, idem cum aliquibus ex Dominis Capitularibus, è domo Capitulari ad locum habiti scrutiniæ secedens, in finem deliberandi, quid sibi desuper faciendum putaret, paulo post ad domum Capitularem reversus, longiori serie exposuit. Quamvis Archiepiscopatus Coloniensis pro tempore grandi ære alieno gravatus, ac tottantisque litibus involutus, & quem sibi difficile futurum prævideret, hujus depauperatæ Ecclesiæ & Archidiæcesis regimen suscipere, si tamen Deo, sanctæque Sedi Apostolicæ ita placeret, se postulationem de se factam, pro majori Ecclesiæ incremento, ac promotione publicæ tranquillitatis non respuere; Atque tunc etiam Serenissimus Princeps Ludovicus Antonius, Ordinis Teutonici supremus Magister, sub cautione de rato, & oblatione de exhibendo desuper mandato, coram Capitulo declaravit, quod eodem modo electionem, pro Serenissimo Duce Baviaræ acceptaret, Cui verò Eminentissimus Dominus Cardinalis, cum iis Dominis Capitularibus, qui ipsum postulaverunt, per expressum contradixit, sustinens, quod id fieri non possit, tam ex parte deficientis mandati, quàm aliàs &c. solemniter simul protestans, de notoriâ nullitate electionis, à minori parte Capituli, modo præmisso, institutæ. Dominis Principibus Neoburgicis, cum suis sibi adhærentibus continuo à contrario de novo protestantibus; Cumque tandem capitulariter propositum fuisset, an non necessarium videretur, ut hæc facta solemnis postulatio, etiam, prout moris & styli, Clero & Populo denunciatur. Eminentissimus Dominus Postulatus illo fine iteratò è domo Capitulari ad locum scrutiniæ recessit, ut remanentibus tantò liberior foret



ret facultas in hoc puncto votandi; atquè altè memoratâ sua Eminentia, sicut præfertur, in prætaçto loco constitutâ, per majora deniq; conclusum, quod sic, Mandatumq; Secretario Capituli ut desuper consuetam formam in germanico ederet, quæ edita, ac inter varios Dominorum Eligentium protestationes, contractiones, reservationes, & provocationes publicè prælecta, ac taliter in multis correctâ, per organum Senioris Canonici Presbyteralis & Conscrutatotis D. Henrici Mehring iussa clero & populo prælegi, & per eundem hanc denunciationem fieri: Qui igitur Eminentissimo D. Cardinali Decano ut per majora postulato concomitante majori Capituli parte scilicet Dd. sub Decano, Chori Episcopo, Scholastico, Seniore & Juniore Diaconis ac Thesaurario, una cum Dominis Carolo Gobert Comite de Reckheim, Ernesto Dominico Comite de Manderscheid, Hermanno Friderico Comite ab HohenZölleren, & Maximiliano Philippo Comite de Manderscheid, prout etiam Dd. Thoma & Joanne Petro de Quentel & D. Christophoro Geyer (qui ex consuetudine minora majoribus accedere solere prius edixerat, salvo quod per hoc Dominos protestantes majoribus ligare non intendat, & in choro à latere præpositurali reperiebatur) ad Chorum Ecclesiæ deducto, & in majoribus subselliis à Latere Decani adstante, ejusmodi denunciationis schedulam altâ & intelligibili voce prælegit, eandemque ad Clerum & populum fecit in forma ut sequitur.

Quandoquidem per obitum Gloriosæ memoriæ Serenissimi & Reverendissimi Principis ac Domini Domini Maximiliani Henrici, Archi-Episcopi Colonienfis, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarii, Sanctæ Sedis Apostolicæ Legati nati, Episcopi Hildesienfis & Leodiensis, Electi Episcopi Monasterienfis, Administratoris Berchtesgadensis, Superioris & inferioris Bavariæ, nec non Superioris Palatinatus, Westphaliæ, Angariæ, & Bullionis Ducis



cis, Comitum Palatinum Rheni, Landgravium Leuchtenbergenſis,  
 Burggravium Strombergenſis, Marchionis Franchimontenſis,  
 Domini in Borckloe &c. Domini noſtri Clementiſſimi, hunc  
 Archi-Epiſcopatum, & Electoratum vacare contigerit, id-  
 circo Reverendiſſimi, Sereniſſimi, Illuſtriſſimi, & Perillu-  
 ſtres, Prænobiles, & Conſultiſſimi Domini, Decanus &  
 Capitulum hujus Archi-Epiſcopalis & Metropolitanæ Ec-  
 cleſiæ Coloniænſis, mei Clementiſſimi & gratioſi Domini,  
 utpotè quibus ſolis de jure Communi, privilegio & antiquâ  
 conſuetudine, hujus Eccleſiæ Electio novi Archi-Epiſcopi  
 & Electoris competit, hodiernam diem decimam nonam  
 currentis menſis Julii, pro eligendo ſeu poſtulando novo  
 Archi-Epiſcopo, & Electore unanimiter determinarunt &  
 præfixerunt; ad quod & alii abſentes Domini Capitulares,  
 prout de jure, ac juxta morem & conſuetudinem hujus  
 Eccleſiæ Citati, atque peracto ſacro, & invocatâ Gratiâ  
 Spiritus Sancti, ad novam & Canonicam ejusmodi Electio-  
 nem ſive poſtulationem proceſſerunt, & per ejusmodi E-  
 lectionem Reverendiſſimum & Sereniſſimum Principem  
 ac Dominum D. Guilielmum Egonem, Sanctæ Romanæ  
 Eccleſiæ Cardinalem, Epiſcopum Argentinenſem, Land-  
 gravium Alſatiæ & in Fürſtenberg, Comitem in Heilingberg  
 & Wertenberg &c. pro novo Archi-Epiſcopo & Principe  
 Electore in Capitulo per majora poſtularunt, ac proinde  
 omnibus & ſingulis hic præſentibus, cujuſcunque digni-  
 tatis, ſtatûs & conditionis iidem ſint, tam Eccleſiaſticis  
 quàm ſecularibus, hoc ipſo ejusmodi poſtulationem per  
 me denunciari mandârunt, omnes & ſingulos tam in ge-  
 nere quàm in ſpecie requirendo & rogando, hujus Archi-  
 Diœceſis verò ſtatibus Superioribus, & inferioribus Of-  
 ficiantibus & ſubditis, clementiſſimè ac ſeverè præcipien-  
 do, quatenus altè memoratum Clementiſſimum Dominum  
 Poſtulatam, quâ talem, ubiq; debitè agnoſcant, reverean-  
 tur ac venerentur. Reliquis Dominis Capitularibus taliter,



ut antè protestantibus ex domo Capitulari Chorum prætereuntibus, & protestationes suas repetentibus, iisque in hærentibus &c. quoad ultiores protestationes, contradictiones & reservationes, ipsumq; actum postulationis & Electionis nos in omnibus & per omnia, ad superius à nobis factam relationem fideliter referendo, acta & facta fuerunt: Et sunt hæc Coloniae Agrippinae Anno millesimo, sexcentesimo, octuagesimo octavo, die quidem Lunæ decimâ nonâ mensis Julii, Indictione undecimâ, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Innocentii, Divinâ providentiâ Papæ, ejus nominis Undecimi, anno Duodecimo, tempore & locis ut supra.

Et quia Ego Godscalcus Wasserfall, Sacris Apostolicæ & Imperiali Authoritatibus publicus, Venerabilis Curiae Archi-Episcopalis Colonienfis pro tempore Senior Notarius, præinsertis omnibus & singulis, unâ cum ante nominatis Domino Secretario Capituli Metropolitanæ, Connotario Vofs, & testibus præsens interfui, eaque hic fieri vidi, audivi, ac quantum humanitus licuit, in notam sumpsi, Ideò hoc documentum cum dicto Connotario desuper confeci, & subscripsi, solitoque Notariatus mei Signo munivi, ex parte benè memorati Capituli ad id specialiter requisitus.

(L. S.)

Godscalcus Wasserfall, idem  
qui supra Notarius subf.

Et quia Ego Bernardus Vofs Notarius Apostolico-Cæsareus, ac venerabilis Curiae Archi-Episcopalis Colonienfis Juratus, similiter ex parte Illustrissimi Capituli Metropolitanæ Ecclesie Colonienfis specialiter requisitus, præmis-



sis omnibus & singulis, una cum prænominatis Dominis Secretario Capituli, & Godscalco Wasserfall, Seniore Notario & Testibus in hoc Instrumento mentionatis, præsens ac personaliter interfui, eaque omnia sic successivè fieri vidi & audivi, etiam quantum mihi possibile fuit in notam sumpsi; Ideò præsens publicum Instrumentum desuper confeci, ac manu meâ propriâ subscriptum consueto meo Notariatus Sigillo Communivi.

(L.S.)

Bernhardus Voss, Notarius  
qui suprâ mpp.

\*\*\*\*\*

**Clausula concernens ex processu Electi-  
onis de Anno 1642.**

**I**N nomine Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Sanctissimo in Christo Patri ac Domino nostro Urbano, Divinâ providentiâ Sacrosanctæ Romanæ & Universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Domino nostro clementissimo, Nos &c.

In quo quidem Capitulo ex parte benèmemorati Domini Decani, & quorundam aliorum Capitularium protestatio quædam sub Lit. D. adjuncta exhibita fuit, deinde dicto Domino Decano nihilominus, Salvâ dictâ protestatione officium Præsidis assumente, & huic Capitulo, & futuræ Electioni præidente, comparuit Syndicus Capituli nostri reproducens citationem, ad eligendum Coadjutorem, & futurum successorem in Archi-Episcopatu Coloniensi,



ensi, contrâ omnes & singulos, qui Electioni hujusmodi  
 debebant, volebant, aut poterant commodè interesse,  
 emanatam, ac debitè tam per affixionem ad valvas Eccle-  
 siæ nostræ, quàm nobis omnibus in Capitulari loco Capitu-  
 lariter congregatis antea intimatam & executam, factâque  
 per executorem fideli relatione, super insinuatione & pub-  
 licatione dictæ Citationis, citatorumque non Comparen-  
 tium contumaciâ accusatâ & declaratâ, ac Domino De-  
 cano, uti Præsidente, Decretû de procedendo in contuma-  
 ciam legitimè interponente, factâque solemnî protesta-  
 tione, quod non intenderemus ad actum Electionis, su-  
 spensos, excommunicatos, interdictos, irregulares, aut  
 alios ad Eligendum inhabiles, ad Electionem admittere,  
 sed illas potius ab Electionis hujusmodi actu prorsus remo-  
 vere & excludere, viâque & formâ *scrutiniî & Compromissi*  
*mixti, per nos Communiter & unanimiter electa & publicata de-*  
*crevimus in Electionis hujusmodi actu, juxta antiquum morem*  
*Ecclesiæ procedere, & dicto Serenissimo & Reverendissimo*  
 Archi-Episcopo nostro Coadjutorem perpetuum ac irrevocabilem, cum futurâ successione in Archi-Episcopatu Coloniensi eligere, *& ex gremio nostro in scrutatores unanimi consensu elegimus & nominavimus, Serenissimum Dominum Franciscum Ducem Lotharingiæ Decanum (qui Salva protestatione interpositâ, quod nolit sibi in ullo præjudicari, assentit) Dominum Ottonem Ludovicum Rheni Comitem Seniores Diaconum, & Henricum Suritorffium Seniores presbyterum Canonicum, dantes & concedentes illis omnimodam potestatem & facultatem in presentia Secretarii nostri, nec non Notariorum & Testium infra scriptorum, sua imprimis & deinde nostrorum omnium & singulorum, etiam absentium vota separatim, & in secreto scrutandi & exquirendi, & illum in quem major & sanior pars Capituli consenserit Coadjutorem & futurum successorem in Archi-Episcopatu Eligendi & publicandi, invocatâ ex tunc gratiâ Sancti Spiritus,*  
 & An



& Antiphonâ Veni S. Spiritus cum versiculo & collecta flexis genibus decantando, Domini Scrutatores, Notarii & Testes recesserunt, ad Antiameram proximè ad hoc adornatam, ibidemque tam scrutatoribus, quam Notariis & Testibus de taciturnitate & silentio admonitis, & juramento obstrictis, præviâ etiam adhortatione cuilibet ex nobis Scrutatori & Capitulari in solidum factâ, quatenus dimissâ affectione eligeremus unum in Coadjutorem, quem meliorem & utiliorem ad Regimen Ecclesiæ secundum Deum & conscientiam judicaremus: Ex tunc *Scrutatores imprimis, sua dein omnium nostrum, tam presentium quam absentium Capitularium vota exquisiverunt & scrutati sunt, perq; secretarium nostrum & Notarios infra scriptos conscribi fecerunt.* Votis itaque omnium & singulorum gradatim ex ordine juxta senium collectis, & in scriptis ritè & legitimè redactis, perq; Scrutatores, item Notarios & Testes in loco Scrutinii collatis, Domini Scrutatores, D. Decanus, Senior Diaconus, & Senior Presbyter Canonicus comparentes coram nobis in Capitulo retulerunt diversitatem votorum quærentes an placeat, ut minora vota accrescant majoribus &c. Finis ita Actum Coloniae 9. Februarii 1642.



Exempla Postulorum, qui antè Postulationis admissionem administraverunt ut probant subscriptiones pragmaticarum Imperii Constitutionum.

**R**ecessus Imperii Spyræ 22. April. 1529. nomine postulati Hildesienfis. Joannes Fabri Doctor.

**R**ecessus Imperii Ratisbonensis die 27. Julii 1532. Franciscus Electus & Postulatus Mindensis.

L

Re-



**R**ecessus Imperii Spyræ d.  
17. Decemb. 1570. Henri-  
cus Postulatus Archi-Epi-  
scopus Bremensis.

**R**ecessus Imperii Ratisbo-  
nensis die 12. Octob. 1576.  
Henr. Postul. Archi-Episcop<sup>9</sup>  
Brem. & Episcopus Osnab:

**R**ecessus Imperii Augustæ  
Vindelicorum d. 20. Sept.  
1582. Henricus Postulatus  
Archi-Episcopus Bremen:  
Administrator Paterbornen-  
sis & Osnabrugensis.

**P**hilippus Postulatus Episc<sup>9</sup>  
Ratisbonensis.

**I**oannes Wilhelmus Postu-  
latus Administrator Mona-  
steriensis.

**C**arolus Postulatus Episc<sup>9</sup>  
Copus Metensis.

Breve Sanctissimi.

Ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Landgravium  
de Fürstenberg &c.

INNOCENTIUS PP. XI.

**D**ilecte fili noster Salutem & Apostolicam benedictio-  
nem. Sicuti nihil aut gratus ac jucundius habemus  
opportunitatibus gratificandi tibi, declarandique in-  
dies magis, *quanti prospectas virtutes ac merita tua faciamus*,  
itâ majorem in modum tristamur, ubi ea se propensâ no-  
stræ erga te voluntati objiciunt impedimenta, quæ mini-  
mè patiuntur, Nos id præstare posse, hujusmodi autem  
molestiam profectò experimur in negotio, de quo occasi-  
one obitus bonæ mem: Venerabilis Fratris Maximiliani  
Henrici Archi-Episcopi dum viveret Coloniensis, ad nos  
scripsisti, tam multas enim gravesque in se continet diffi-  
cultates, quemadmodum à nostro ad Rheni Tractum Nun-  
cio abundè cognosces, ut nullum nobis relinquunt locum  
satisfaciendi votis tuis, de Pietate verò & Sapientiâ tuâ adeò  
præclare sentimus, ut deliberationi, quam hac in causa su-  
scipimus, ultrò te acquieturum esse, planè confidamus, si-  
bique



bique interim, dilecte Fili noster Apostolicam Benedictionem  
peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam  
Mariam majorem sub annulo piscatoris die 1. Julii 1688.  
Pontificatus nostri anno duodecimo.

*Marcus Spinola.*

*Sequitur Inscriptio.*

Dilecto Filio nostro Guilielmo Francisco S. R. E. Presbytero Car-  
dinali Landgravio à Fürstenberg.

## INNOCENTIUS PP. XI.

Dilecte Fili noster salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ad per-  
sonam tuam, quam divina Clementia magnis Illustravit gratiarum mu-  
neribus, paternæ dirigentes considerationes intuitum, & attentè pro-  
spicientes, quod tu Romanam Ecclesiam, cujus honorabile membrum ex-  
istis, tuorum honoras plenius magnitudine meritorum, dignum, quin potius  
debitum reputamus, ea tibi favorabiliter concedere, per quæ sublati  
impedimentis quibuslibet, possis de beneficiis Ecclesiasticis, tuæ dispo-  
sitioni Commisissis, idoneis personis, & aliàs tibi gratis & acceptis provi-  
dere, motu itaque proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super  
hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex merâ liberalitate certâq; scien-  
tiâ nostris, tibi, ut quoad vixeris solus per te ipsum vel alium seu alios,  
quem vel quos ad hoc deduxeris deputandum, seu deputandos tam in  
Romana curiâ, quàm extra eam, quando & quoties te de licentia nostra  
etiam pro tuâ voluntate ab eadem curiâ ubilibet etiam ultra montes ab-  
esse contigerit, servata tamen, quoad beneficia titularum & Diaconia-  
rum ac Episcopatum Cardinalitiorum, Constitutionis, seu regulæ VIII.  
Cancellariæ nostræ Apostolicæ dispositione, quæcunq; beneficia Eccle-  
siastica, cum Cura & sine Curâ sæcularia, & quorumvis ordinum seu Ho-  
spitalium vel militiarum regularia, quomodolibet qualificata, ad tuam,  
etiam cum alio vel aliis collationem, provisionem, Electionem, præsen-  
tationem, institutionem, seu quamvis aliam similem vel dissimilem di-  
spostionem, tam ratione Cujusvis Ecclesiæ tibi pro titulo tui Cardinalatus  
assignatæ & pro tempore assignandæ, quam Argentinensis, cui ex Con-  
cessione & dispensatione Apostolica præesse dignosceris. Et quarumvis  
aliarum Cathedralium Metropolitanarum & Patriarchalium Ecclesiarum,  
quibus te præfeci, aut in administratorem deputari, vel ad quas transferri con-  
tingerit. nec non quorumcunque &c. Conferre, & de illis etiam provi-  
dere aliaque liberè valeas.

L 2

Litteræ



*Littera Illustrissimi D. Nuncii Apostolici ad Illustrissimum Capitulum Coloniense.*

Illustrissimi Perillustres ac Reverendi Admodum Domini.  
**N**on exiguum concepit mœrorem Sanctissimus Dominus noster, ex  
 Nobitu claræ memoriæ Serenissimi Electoris Coloniensis, enixisque  
 votis à Deo supplex efflagitat, ut Ecclesis illius morte viduatis condigne  
 provideatur; Sanctitas sua mihi ideò injungere dignata fuit, ut illu-  
 strissimis Dominationibus vestris renuntiarem mentem ejus esse, quod  
 in imminentibus Electionibus ineundis, Canonicè procedatur, illarumque  
 dirigantur in eos, qui prudentia & virtute NB. digniores NB. aptioresque, cen-  
 seantur ad earundem Ecclesiarum Regimen Laudabiliter subeundum: hæc sunt  
 vota tanto digna Pontifice, digna etiam ut iisdem ad amussim obsequatur, Illu-  
 strissimarum Dominationum vestrarum pietas, illorumque Zelus erga istam Eccle-  
 siam. Cui & ipse pro mearum virium tenuitate inservire exoptans,  
 permaneo Coloniae 13. Julii 1688.

*Illustrissimarum Perillustrium ac RR.  
 admodum Dominationum vestrarum*

Illustrissimo Capitulo Metropolitanae Coloniensis  
 ad omnia officia Paratissimus J. A. Archi-  
 Episcopus Damacenus.

**BREVE SANCTISSIMI.**

Ad Illustrissimum Capitulum Coloniense.

**INNOCENTIUS Papa XI.**

**D**ilecti Filii Salutem & Apostolicam benedictionem, tristati sane no-  
 parum sumus, de obitu Venerabilis Fratris Maximiliani Henrici  
 Archi-Episcopi dū viveret Coloniensis de quo litteris 5. Junii proximè  
 elapsi datis certiores nos reddidistis, perspectæ enim ejusdem virtutes  
 ac prærogativæ à Charitate, qua illum prosequeremur prorsus id re-  
 poscebant, tristitiam autē nostram opportunè levantes consideratione  
 mercedis magnæ nimis, quam ipsum in æterna beatitudine à liberali ju-  
 storum remuneratore Deo recepisse speramus pro sollicitudine, quam  
 gerere debemus omnium Ecclesiarum, præsertim verò Coloniensis,  
 vehementer vos in Domino hortamur, ut in Eligendo successore, augmentum  
 divinæ gloriæ unice propositū habeatis, in eumque tantummodò conveniat,  
 quem præclaris magno Præsule dignis dotibus, NB. insignitum, ad omnes Pastro-  
 ralis officii partes laudabiliter obeundas, magis NB. inter vos idoneum agnov-  
 eritis. Quod ut juxta pietatis, Zeliq. vestri onus, votumque nostrum ac expectatio-



nem, præstetis, S. Spiritus auram vobis, dilecti Filii afflatum usq; precamur, ac apostolicam benedictionem peramanter impertimur, datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die tertiâ Juli M. DC. LXXXIX. Pontificatus nostri anno duodecimo.

*Marcus Spinola,*

*Litteræ Serenissimi Glor. mem. ad Sanctissimum*

*Sanctissime Pater.*

Cum jam pridem Illustrissimo Domino, Sanctitatis Vestræ Nuncio momenta. exposuerim, quibus adductus fui, ut in Coadjutoris postulacionem consensum meum præstiterim, neq; per eam, quæ me jam opprimit ægritudinem, multa mihi dicere liceat, de hisce momentis sanctitatem vestram iterum non gravabo, at sanctissime Pater, cum per morbum, quo teneor, dissolutionis dies non immeritò timendus mihi veniat, antequam animam meam Deus à me repetat, devotionis meæ in sanctitatem vestram esse duxi, ut suæ Apostolicæ benedictionis præsidio mihi consulere, & Conscientiæ meæ Incumbere existimavi, ut ipsam, instantibus valdè precibus exorem, quatenus per coadjutoris deputacionem, prævertere velit Calamitates, quæ per sedis Coloniensis vacantiam, hanc Ecclesiam, measq; oras, quæ Christi sunt, infestare possent. Jam Ego sanctissime Pater omnibus votis optarem cunctis Ecclesiis, quibus divinâ providentiâ me præfecit eadem ratione provisum fuisse, sed cum id sperare jam vix detur, sive summo Creatori me ad se evocare placuerit, sive meliori sanitati Clementia sua me restituere, abundâ consolatione recreabor, cum saltem Ecclesiam Coloniensem, quæ ut omnium dignior est, ita in majori discrimine versatur, à vacantia periculis liberatam scivero, itaque sanctissime Pater, pedes sanctitatis vestræ amplexus eam enixè obsecro, & per Salvatoris nostri Charitatē obtestor, ut ultimâ me hac gratiâ reficere, hocq; ultimo forsân in Jesu Christo gaudio me perfundere amantissimè velit, ut scil. cum Deo libuerit, dimitti possit animus meus in pace, cum oculi mei salutare Ecclesiæ meæ viderint. Quæ sanctissime Pater, dum à Sanctitatis vestræ paterna & propitia charitate spero tranquillè & placidè, admodum diem Domini Expectans, præparabo illi spiritum meum, quem interim perenni & almæ sanctitatis vestræ benedictioni summâ cum pietate Commendo.

*Litteræ Illustrissimi Capituli Coloniensis ad Sanctissimum*

*Dominum nostrum*

*Beatissime Pater.*

Quamvis dubitare non possumus, quin ad sanctitatis vestræ notitiam deveniret, qualitor Deo ita disponente, Serenissimus & Reveren-



dñissimus Princeps Elector & Archi-Episcopus Coloniensis, Maximilianus Henricus, utriusq; Bavarix Dux, Dominus noster Clementissimus viam universæ Carnis ingressus, die tertiâ currentis mensis Junii placidissime & piissime in domino obdormierit, immarcescibilem virtutû suorum, quibus inter Præsules singulariter splendere visus est, coronam reportaturus, nihilominus pro nostra, quâ ergâ sanctitatem vestram, sanctamq; sedē Apostolicam, ferimur submississimâ devotione, luctuosum hujusmodi obitum vestræ sanctitati humillimè notificandum, simulq; insinuandû fore duximus, quod maturis tractatibus præhabitis in loco Capitulari legitimè congregati, Capitulari repræsentes, ad animam revocaverimus, quanta Ecclesiis, & præsertim harum regionum Metropolitanis, Præsulis solatio destituti, pericula & dispendia imminere soleant, adeoq; attentius perpendentes, postulationē Coadjutoris Archi-Episcopatus Coloniensis in personam Eminentissimi Cardinalis Landgravii de Fürstenberg, & sub sanctitatis vestræ & sanctæ Sedis Apostolicæ beneplacito non ita pridem à nobis concorditer factam, quantum nobis constat, hætenus necdum à Sanctitate vestra fuisse admittam, ad occurrendum gravissimis incommodis, quæ in Ecclesiam prædictâ, totamq; Archidicesin Colon. ex diurnâ vacatione redundare possent, in Eventum, quo gratiam successionis memorato Eminentissimo Cardinali Landgravio de Fürstenberg &c. Decano nostro longè dignissimo, & de Ecclesiâ prædictâ ceteris optimè merito, ad humillimas nostras preces, & factam concordem postulationem à Sanctitate vestra concessam esse, interea nobis non constiterit, prout de illius concessione nihil hætenus nobis innotuit, ad Canonice novi Archi-Episcopi Electionem vel postulationem, prout de jure procedendû fore, concorditer resolverimus, & ad hujusmodi Electionem vel postulationem Canonice celebrandam, diem decimam nonam proximi mensis Julii, cum continuatione sequentium, statuerimus & præfixerimus, relaxatâ cum in finem citatione solita & opportuna, in Domino confidentes, quod sanctitas vestra hanc nostræ providæ intentionis solertiam, pro publico Ecclesiæ Coloniensis bono benignissimè sit probatura, cujus beatissimos pedes devotissimè exosculamur & ulterioris Paterni affectûs erga nos, Ecclesiamque nostram Coloniensem continuationem humillimè deprecamur; manentes semper,

Sanctitatis Vestræ

Coloniæ d. 5. Junii 1688.

Devotissimi & humillimi  
Decanus & Capitulum Ecclesiæ  
Metropolitane Coloniensis


pro Copia Authentica

Col. selli. Jesh. padib


1688.

Gerardus Rensing, Capituli Metropolitanæ  
Coloniensis Syndicus & Secretarius.










































Th  
4768





Varia

510

43